DE

VINDICANDIS M. TULL. CICERONIS

QUINQUE ORATIONIBUS,

POST REDITUM IN SENATU, AD QUIRITES POST REDITUM, PRO DOMO SUA AD PONTIFICES, DE HARUSPICUM RESPONSIS, PRO M. MARCELLO.

SCRIPSIT

IO. AUG. SAVELS,

LITT. GRAEC. ET LAT. MAGISTER IN GYMNASIO AQUISGRANENSI.

COLONIAE, 1828.

TYPIS M. DUMONT-SCHAUBERG.

DISPUTATIO

DE

VINDICANDIS M. TULL. CICERONIS

QUINQUE ORATIONIBUS,

POST REDITUM IN SENATU, AD QUIRITES POST REDITUM, PRO DOMO SUA AD PONTIFICES, DE HARUSPICUM RESPONSIS, PRO M. MARCELLO.

SCRIPSIT

IO. AUG. SAVELS,

LITT. GRAEC. ET LAT. MAGISTER IN GYMNASIO AQUISGRANENSI.

1828.

Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
Praestent; mature redeat, repetatque relicta.

Hor. Epist. I, 7, 96. sq.

Patrocinium suscepimus quinque orationum, quibus nomen Ciceronis paene detractum est a nostratibus. Nam C. D. Beckius, qui primus post editos Wolfii commentarios 1) scripta Ciceronis recensuit, homo litterarum et historiae peritissimus, in quarti voluminis praefatione declarat, eas orationes 2) sibi non videri profectas ab oratore, cuius nomen inscribatur, ac tantum non ausus est, in appendicem reiicere, spurias Ciceronis orationes comprehensuram. C. G. Schützius, qui Ciceronem certe multum tractavit, aliquanto fuit audacior: cui visum est, uno eodemque volumine eas complecti, adiectis epistolis Ciceroni ad M. Brutum et M. Bruto ad Ciceronem suppositis. In Jo. Casp. Orellii, diligentis viri et clarissimi hominis, inchoata recensione omnium, quae supersunt, Ciceronis scriptorum locus eis adsignatus est, in quem libri compulsi sunt dubii et supposititii, post scripta ad artem rhetoricam pertinentia; ut vel ipse locus declamatorio studio conscriptas esse insimularet. Fr. A. Nobbeius, philosophiae Doctor, qui anno superiore Tullii scripta edidit uno volumine comprehensa, Schützium sequutus, quatuor priores orationes post Philippicas collocavit; quintam vero, pro M. Marcello, ut germanam, suo loco reposuit propter inventa veterum in hanc orationem Scholiorum fragmenta, quae, Ang. Maio, qui nuper invenerit, auctore, videantur Asconii Pediani esse.

Ac plures haec quidem oratio defensores nacta est. Quorum primus, ut anonymos quosdam libri Wolfiani censores omittam, Olaus Wormius, litterator Danus, fuit 3); secundus, si licet Kalavium praeterire, cuius liber perpaucis innotuit, Beni. Weiskius, vir permagni nominis in Germania 4). Tertius exstitit, postquam G. L. Spaldingius, vir nobilissimus, argumenta Wolfii confirmare et augere conatus est 5), A. L. G. Jacobus, doctissimus iuvenis, qui coniecit, eam neque omnino genuinam,

---

1) M. Tulli Ciceronis, quae vulgo feruntur, orationes quatuor, post reditum in Senatu, ad Quirites post reditum, pro Domo sua ad Pontifices, de Haruspicum responsis. Recognovit, animadversiones integras J. Marklandi et J. M. Gesneri suasque adiecit Frid. Aug. Wolfius. Berolini 1801. 8.

M. Tulli Ciceronis, quae vulgo fertur, oratio pro M. Marcello. Recognovit, animadversiones selectas superiorum interpretum suasque adiecit Frid. Aug. Wolfius. Berolini 1802. 8.

2) Si quintam exceperis, quam Beckius non edidit nec publice Ciceroni abiudicavit.

3) M. Tulli Ciceronis orationem pro M. Marcello *νοθείας* suspicione, quam nuper iniiciebat Frid. Aug. Wolfius, v. c., liberare conatus est Olaus Wormius, Prof. et Rector scholae Hoterness. Havniae 1803. 8.

4) Commentarius perpetuus et plenus in orationem M. Tullii Ciceronis pro M. Marcello cum appendice de oratione, quae vulgo fertur, M. Tullii Ciceronis pro Q. Ligario auctore Beniamin Weiske. A. M. scholae portensis nuper corect. Lips. 1805. 8.

5) Vid. Museum antiquitatis studiorum. Opera F. A. Wolfii et Phil. Buttmanni. Vol. I. fasc. 1. Berol. 1808.

nec plane supposititiam esse 6). Denique eandem orationem, ut plane Ciceronianam, defendit Jo. Leon. Hugius, vir primarius in theologia idemque in arte grammaticorum vel in primis excellens 7). Reliquas autem orationes, quas ante Wolfium Marklandus primus in discrimen vocavit 8), Gesnerus ita defendit a suspicionibus, quas ille iniecerat 9), ut nemini suspectae essent eo tempore, quo Wolfius ingeniosa improbitate eas denuo accusavit. Huius autem acerrimi viri criminationes singulas excutere atque omnes refellere nemo hucusque conatus est; quamquam fuerunt, qui non difficilem, at plenum taedii, hunc esse laborem arbitrarentur, neque dubitarent cum aliis selectis orationibus summi oratoris edere etiam utramque orationem post reditum.

Sed commemorandus hoc loco est liber quidam singularis cuius scriptori illud fuisse propositum videtur, ut totam accusandi rationem, qua Marklandus et Wolfius usi sunt in his orationibus, simulata imitatione irrideret ac refutaret. Commentarium dico in orationem pro Archia Poëta, qui prodiit Lipsiae non praescripto nomine auctoris 10). Eodem fere consilio Rossius, quem Wolfius nominat in praef. ad IV. oratt. p. X., paulo postquam Marklandus iudicium suum de quatuor illis orationibus pronuntiavit, in suspicionem νοθείας orationes pro Sulla, pro Milone, pro Coelio, pro Murena, pro Flacco, duas ex Catilinariis, duos libros Tusculanarum et secundum de Finibus vocavit. Neque dubitamus, quin fuerint, quibus serio rem agere Rossius videretur; orationis autem pro Archia etiam vindiciae sunt scriptae, quasi serio damnata esset 11). Porro quum hoc sibi praemium pro opera sua Wolfius postulasset (praef. ad Marc. p. 39); si cui videretur ipsum Ciceronem calumniari, ut is quam primum orationes pro Ligario et Deiotaro, vel aliam quamcumque, eadem ratione calumniaretur: Weiskius in Ligariana plurimas voces, loquendi formulas atque sententias, ut vitiosas, ineptas et Cicerone indignas notavit, quas defendere, mihi quidem non facile factu videtur. Quod denique Rossius, Weiskius et Beierus, nam huius suspicor esse commentarium in orat. pro Archia, per simulationem efficere conati sunt, ut quamlibet Ciceronis orationem iisdem, quas Wolfius et Marklandus adhibuissent, legibus criticis et argumentis suspectam reddi posse ostenderent: in eo

---

6) De oratione, quae inscribitur pro M. Marcello, Ciceroni vel abiudicanda vel adiudicanda quaestio. Pro summis in philosophia honorib. — conscripsit Aug. Lud. Guil. Jacob. Berolini et Halis. 1813. 8.

7) Lucubratio de oratione Ciceronis pro M. Marcello. Friburg. 1817.

8) Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero; in a Letter to a Friend. With a Dissertation upon four Orations ascribed to M. Tullius Cicero etc. To which are added some Extracts out of the Notes of learned Men upon those Orations, and Observations on them. By Jer. Markland, Fellow of St. Peter's College, Cambridge. — London. 8.

9) Vid. Commentarior. Soc. Reg. Goetting. T. III. p. 223. sq. et 251. sq.

10) Titulus est: Marci Tullii Ciceronis, quae vulgo fertur, oratio pro Aulo Licinio Archia Poeta. Recensuit, suas observationes adiecit M. C. B. Lips. 1818. 8.

11) Vid. Krit. Bibliothek für das Schul- und Unterrichtswesen v. Gottfr. Seebode f. d. J. 1821. Nro. 2. sq.

adiuvantur partim ipsius Wolfii et Marklandi iudiciis de aliis quibusdam Tullii scriptis, partim simili conatu et audacia aliorum, qui tantos sibi viros imitandos arbitrati sunt. Nam praeter illas quatuor orationes et epistolas Ciceronis ad Brutum Brutique ad Ciceronem libri quoque de Oratore Marklando suspecti fuerunt, teste Wolfio, qui hoc dictum refert in eius vita (Anal. Litter. vol. II. p. 380): „I have made another attack upon *Cicero de Oratore*, in which I fancy I have found out *strange things*." Negavit Wolfius, quod Marklando visum erat, probari posse; at ipse tamen, quum libris de Oratore patrocinaretur, accusavit nonnullas epistolas ad Famil., quarum unam quum indicaret, tanquam spuriam, in mirum quendam errorem ac prope ridiculum inductus est 12). Idem Wolfius unam e mediis Catilinariis orationibus supposititiam sibi videri professus est; si fides habenda H. G. J. Cludio, litterarum magistro in gymnasio Lyccensi, qui talia dicentem in acroasibus de litteratura Romana a se auditum esse confirmat. Nam scripsit Cludius de authentia secundae orationis Catilinariae commentationem, in qua multum sane ponderis esse in eo putat, quod eadem oratio videatur a principe criticorum damnata esse 13). Quod vero Eichstaedtius, homo latini sermonis intelligentissimus, quum in additamentis ad Hor. (sat. I, 10, 62. sq.) quasi suo iure pseudociceronianam vocaret nobilissimam orationem pro T. Annio Milone: ne id quidem, si recte perspicio, facere non nisi confirmatus Wolfii, summi viri, auctoritate conatus est. Videsne igitur quam periculosa sit ista argumentandi ratio, qua nostrae orationes accusatae et condemnatae sunt? A qua tutam esse nullam omnino Ciceronis orationem, in quam illa transferatur, quodammodo licet ex laudibus coniicere, quibus illae, quas defendimus,

---

12) Genus atque natura huius erroris accurate describitur indicio, quod cum singulis viris doctis sine auctoris nomine communicatum est:

In dem neuesten Stücke der litterarischen Analekten, herausgegeben von Fried. Aug. Wolf (IV), hat dieser berühmte Litterator, S. 381, einen Brief des Cicero abdrucken lassen, den er in einem Diezischen, jetzt Königl. Codex der Sammlung ad Familiares (auf der Bibliothek zu Berlin) zwischen dem 49. und 50. des 13. Buches fand. Dieser Brief lautet in der Handschrift, wie folgt:

M. Cicero Celio édili curuli S. D.

Marcho Fabio, viro optimo et homine doctissimo, familiarissime utor, mirifice eum diligo, tum propter summum ingenium eius summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Eius negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos: hominem occidat oportet, qui vestra opera uti velit. Sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, quum tua opera Fabius uti volet. Ego res Romanas vehementer exspecto et desidero, imprimisque, quid agas, scire cupio. Nam iam diu propter hiemis magnitudinem nihil novi afferebatur. —

Diesen Brief nun nennt Wolf ein erweislich unächtes Uebungsstückchen, das glücklicher Weise in den von frühern Herausgebern gebrauchten Handschriften nicht gestanden haben müsse. Denn, setzt er hinzu, sonst sähen wir es vielleicht in der Reihe mit ansehnlicher Schrift gedruckt, wie es hier, mit aller gebührenden Bescheidenheit in eine Anmerkung versteckt, stehen mag, ganz nach der Handschrift.

Ein sonderbarer Mifsgriff! Jener Brief ist ja bereits unzählige Mal mit ansehnlicher und unansehnlicher Schrift gedruckt worden; er steht in allen Ausgaben, nur nicht an der Stelle, wo er sich in der Diezischen Handschrift findet, sondern Lib. II, Ep. XIV. und ist einer der ächtesten in der ganzen Sammlung.

Im October 1819.

13) Vid. Neues Archiv für Philologie und Pädagogik von Seebode, 2r. Jahrgang, 4. Heft, S. 47—85.

orationes constanter elatae sunt ab eruditissimis viris, et inter praestantissimas semper numeratae. Quis enim putabit, Lambinos, Graevios, Muretos, Manutios, Garatonios, alios viros, qui principes in his artibus haberi solent, fuisse latini sermonis tam ignaros, ab elegantiae sensu tam remotos, in rerum Romanarum scientia tam rudes, ad proprium denique Ciceronis loquendi genus internoscendum tam parum aptos, ut infimi rhetoris declamationes manifestis, ut dicunt, vitiis linguae et sententiarum peccatisque historicis deformatas non discernerent a veris monumentis summi oratoris, in quibus legendis et explicandis magnam partem aetatis suae consumsissent? In quo maxime etiam mirandum est, quod Garatonius, quem Wolfius unum inprimis idoneum, cuius sententiae res committeretur, existimavit, ne tanto quidem argumentorum numero et pondere, quantum attulerunt accusatores, eo adduci potuit, ut eas orationes, quas admiratus esset, tanquam eloquentiae Ciceronianae specimina, mutato iudicio pro scholastici declamatoris exercitationibus haberet. Ne quis tamen haec dici a nobis forte arbitretur, quo vel Garatonii vel aliorum primi ordinis virorum auctoritate causam nostram defendi atque diiudicari velimus: verum id certe sequuti sumus, ut ne quis una, quamvis magna, Wolfii et eorum, qui huius sententiam amplexi sunt, auctoritate causam nostram obrui posse existimet.

Nam tria sunt, quae demonstranda nobis in hac disputatione proposuimus: primum, a Cicerone scriptas et editas esse orationes de argumentis iisdem, quae in nostris orationibus pertractantur; alterum, inde a Ciceronis aetate usque ad Prisciani tempus constanter ab omnibus litteratis Romanis easdem, de quibus nunc agitur, orationes pro Ciceronianis habitas atque laudatas esse; tertium, in ipsis orationibus nihil inesse merito scriptoris, quod a Ciceronis manu et ingenio proficisci non potuerit. Quae tria si probare contigerit, ita ut simul omnia, quae de iisdem rebus a contrariae causae patronis disputata sunt, infirmentur, nihil erit, quod vereamur, ne periti et aequi iudices nomina et auctoritates desiderent.

In primis igitur post reditum litteris ad Atticum datis Senatui gratias a se actas esse scribit Cicero his verbis (ad Attic. IV, 1): „Postridie in Senatu, qui fuit dies Non. Septembr. Senatui gratias egimus." Editam esse hanc orationem, qua Tullius Senatui gratias egit, ex or. pro Plancio cognoscimus, c. 30. „Nihil autem me novi, nihil temporis causa dicere, nonne etiam testis est oratio, quae est a me prima habita in Senatu? In qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri: statuissemque eos solum nominare, qui causae nostrae duces et quasi signiferi fuissent: in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est. In qua ego homo astutus ei me dedebam, cui nihil magnopere deberem, et huius tanti officii servitutem adstringebam testimonio sempiterno." Quid enim significarent verba: *Recitetur oratio* et *testimonio sempiterno;* si statueremus, eam orationem nemini legendam exstitisse praeterquam ipsi, qui manu scriptam in arca ser-

varet? Orationis autem, quae nunc legitur, post reditum in Senatu, non modo totum argumentum, sed singuli etiam loci cum illa, cuius mentio fit apud Ciceronem, plane consentiunt, quantum quidem id potest ex testimoniis laudatis aestimari. Vid. e. g. c. 12. „Et quamquam sunt in me praecipua merita multorum, quae sileri nullo modo possunt, tamen huius temporis ac timoris mei non est, conari commemorare beneficia in me singulorum: nam difficile est non aliquem; nefas quemquam praeterire." Cn. Plancius honorificentissime nominatur c. 14.

Alteram post reditum orationem in eadem, quae laudata est, epistola significari Ferratius hac argumentatione docet: „*Postridie in Senatu*, ait Cicero, *qui fuit dies Nonarum septembr. Senatui gratias egimus.* En alteram orationem post reditum. Deinde, quibusdam interpositis, subiicit: *Quo SCo recitato* (de re frumentaria Pompeio mandanda), *quum populus more hoc insueto et novo plausum meo nomine recitando dedisset, habui concionem.* Quam concionem tum habuisse dicendus est? An ut deferretur Pompeio procuratio rei frumentariae? iam Senatus ipse detulerat. An ne SCum populus improbaret? illud idem Cicero populi rogatu decernendum curaverat, neque in solvendo legibus poterat non iubere plebs, quod Senatus censuisset, ex lege Cornelia. Scilicet habita concio est haec ipsa ad Quirites oratio. — Hinc Dio lib. XXXVIII. *Rediit Cicero et gratias tum Senatui, tum populo, concione a Coss. data, in Senatu et in concione egit.* Ego vero, licet id neque ex Tullio, neque ex Dione constaret, numquam tamen dubitari posse putarem, an huic officio tam necessario satisfactum fuerit, quum ambitiosus orator, qui tum singulari beneficio populi restitutus fuerat, in rebus etiam levissimis gratum se ac popularem praestiterit. At, inquies, cur non VIII. Idus Septembr., postridie nimirum, quam dixerat in Senatu, ad populum productus est? ipse enim fatetur, factum id fuisse biduo post. Quasi ex Livio et Macrobio, ut alibi admonui, manifestum non sit, postridie omnes Kal. Nonas et Idus atros dies ex Pontificum decreto fuisse, quibus proinde habere comitia et vocare populum ad concionem non licebat. Sic non postridie Nonas, sed biduo post, facto iam SCo de rei frumentariae procuratione, data est Ciceroni concio a magistratibus." Quae coniectura Ferratii Wolfio parum probabilis videtur propter silentium Ciceronis, qui quum tantillo intervallo de altera gratiarum actione narravisset, nunc eandem rem apud populum factam non negligenter omissurus fuerit 14). At nihil facilius factu erat, quam ut Atticus etiam populo gratias in prima concione actas esse suspicaretur, quum Senatui actas esse cognovisset. Quare non opus erat, ut hoc diserte adderetur ad verba: *habui concionem.* Quod vero nulla fit mentio rei frumentariae in ea, quae ad nos pervenit, oratione: huius rei causa est, ut infra conabimur ostendere, quod prior pars huius orationis deperdita est, in qua Ciceronem verisimile est de re frumentaria dixisse.

De oratione pro domo sua ad Pontifices Cicero sic scribit ad Atticum IV, 2.

---

14) Vid. summarium huius orationis p. 82.

„Post illas datas litteras sequuta est summa contentio de domo. Diximus apud Pontifices pridie Kal. Octobr. Acta res est accurate a nobis, et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si numquam alias fuimus, tum profecto dolor et magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti nostrae deberi non potest: quam tibi, etiamsi non desideras, tamen mittam cito.“ Hoc illustrissimum Ciceronis testimonium Marklandus negat referendum esse ad orationem, quae etiam nunc exstat (praef. p. 69. W.). Nam, „Priora“, inquit, „duodecim capita, quinta fere totius (orationis) pars, nihil habent, quod ad ipsam rem pertineat, excideruntque scriptori *praeter opinionem atque voluntatem suam*: ipsi hoc nos accredere par est §. 32. Nam, *Intelligo*, inquit, *me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerat, aut voluntas mea.* Quod si ita erat, licebat interrogare, quae vis eum coegisset, ut tot supervacua verba temere profunderet. Et qui ista in ipso limine digressio a proposita re convenit cum illa veri Ciceronis professione. Qua rem a se accurate actam scribit?“ Cui sic respondeo. Post exordium orator, verens ne Pontificum animi a se alienati sint, propterea quod Clodius sententiam de Pompeio dictam vituperavit, ad eam orationem, quae propria est causae, non statim progreditur; sed Clodii convicio prius respondere instituit. Ac similis digressio in Oratione pro Murena fit, c. 1. post verba: „Antequam pro. L. Murena dicere instituo, pro me ipso pauca dicam“, et in Miloniana, quam Asconius ita perfecte scriptam dicit, ut iure prima haberi possit, c. 3. post verba: „Antequam ad eam orationem venio, quae est propria nostrae quaestionis videntur ea esse refutanda, quae et in Senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione saepe ab improbis, et paullo ante ab accusatoribus.“ Neque ea dissimulat auctor Milonianae extra causam omnia disputari, nam c. 9. factam a se digressionem his verbis fatetur: „Quamobrem iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus.“ (Conf. orat. pr. Arch. c. 6. sq.) Ab accurata igitur scriptione huiusmodi digressiones, quae ad iudicem praeparandum aut reconciliandum pertineant, minime sunt alienae; sed prooemii vim obtinent, iudice Quintiliano, I. O. IV. 2, 24. Quod vero scriptor orationis pro domo §. 32. ait: *Intelligo, me plura extra causam dixisse, quam opinio tulerat, aut voluntas mea:* id tantum abest, ut significet, *omnia praeter opinionem atque voluntatem ei excidisse,* ut equidem non intelligam, quali cupiditate adductus Marklandus ita interpretatus sit verba, quorum procul dubio sensus hic est: *Non putabam, me dicturum esse, neque volebam dicere tam multa, quam me dixisse iam intelligo.* Similis excusandi formula reperitur in Verr. III, 69. „Verum huc longius, quam voluntas fuit, ab epistola Timarchidis digressa est oratio mea.“ Addit Censor l. l. totam orationem videri quasi ad quendam imperatum modum longitudinis contextam esse, pagina paginae conserenda. Quod velim ita intelligas, ut a Cicerone nihil praetermissum putes, quo rem suam levare et sustentare posset. Atqui id pertinere ad accuratam orationem videtur. Nihil est ergo in isto Ciceronis testimonio, quod non egregie consentiat cum oratione pro domo.

Quintae orationis, pro M. Marcello, Tullius mentionem facit ad Fam. IV, 4. „Uno te vicimus, quod de Marcelli, collegae tui, salute paullo ante, quam tu, cognovimus; etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes post has miserias, id est, postquam armis disceptari coeptum est de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Caesar, accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et aequitate tua, et prudentia, repente praeter spem dixit, se Senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. — Noli quaerere. Ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae. Itaque quum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, praeter Volcatium (is enim, si eo loco esset, negavit, se facturum fuisse): ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et Senatus officium. Itaque *pluribus verbis egi Caesari gratias;* meque, metuo, ne etiam in ceteris rebus honesto otio privarim, quod erat unum solatium in malis.“ In quibus Spaldingius negat (p. 79.), *plura verba* propria vi sua de iusta oratione dici posse. Cui adversantur ipsa, quae profert, exempla huius loquutionis, pro Cluentio c. 59., ubi *pluribus verbis* significatur ea, quae praecedit oratio capitum 58, et pro Rabir. perd. c. 2., ubi *plura verba* cum *longa oratione* congruunt, quae intra semihorae spatium perorari non possit. At Wolfius in praef. Marc. p. 26. plures rationes enumerat, quae penitus persuadeant, Ciceronem scribere noluisse, atque adeo non scripsisse de restituto Marcello. „Primum,“ inquit, „hic nulla reperitur causa ex iis, quas supra attulimus, quae illum impellere potuerit ad scribendum; nulla rei gravitas, aut difficultas, aut aliqua gratia, nec denique voluntas Marcelli, quippe qui Caesaris clementiam, acerrimus libertatis propugnator, non magnum erga se meritum putans, et in reditu potius amicis suis obsequens, iniquissimo animo laturus fuisset, illius diei indignitatem scripta oratione testatam et ad posteros proditam.“ Nolo hic quaerere, an plures causae, propter quas Cicero actiones suas litteris consignaret, indicari possint, quam quae duae describuntur a Wolfio: quas afferebant scilicet res ipsae, si magnae, si illustres, si difficiles tractatu essent; aut voluntas eorum, quos defendisset 15). Nam utraque harum causarum impellere potuit Ciceronem ad scribendam edendamque orationem pro M. Marcello. Nonne permagnam ei rem visam esse Marcelli restitutionem ex laudatae epistolae verbis perspicitur: *noli quaerere; ita mihi pulcher hic*

15) Qui curiosius in eam rem inquirere voluerit, ante omnia adire poterit orationem in P. Clodium et Curionem, de qua Tullius haec refert ad Att. III. 12. „Percussisti me etiam de oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equidem olim iratus, quod ille prior scripserat; sed ita compresseram, ut numquam manaturam putarem. Quo modo exciderit nescio. Sed quia numquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem; et quia scripta mihi videtur negligentius, quam ceterae; puto posse probari, non esse meam. Id, si putas, me posse sanari, cures velim.“

dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae 16)? Nonne etiam Ciceroni, ut Pompeiano, qui desiderio pristinae dignitatis in perpetuum tacere statuisset, difficillimum esse oportebat, Caesari, factionis suae victori, gratias agere, ita ut et illius voluntati et suis studiis communique civitatis saluti serviret? Si vero gratiam quaeris: haec inita est et a Marcelli propinquis ac familiaribus propter Marcellorum laudes, et a Caesare propter actas gratias. Denique Marcelli voluntatem quod attinet, ea talis erat, ut facile et aequo animo patria careret illis temporibus; neque sane iucundas ei Caesaris laudes fuisse arbitramur: attamen pergrata fuisse necessariorum et maxime Ciceronis officia, testatur ipsius epistola ad Ciceronem (Fam. IV, 11.): „Res quemadmodum sit acta, vestrae litterae mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quod optimo fit animo; tamen hoc mihi multo iucundius est et gratius, quod in summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui vere meae saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque mihi benevolentiam praestitisse cognovi.“ Quid ergo causae erit, cur eum noluisse putemus, monumentum exstare huius benevolentiae 17)? Secunda Wolfii ratio est: „Adde huius aetatis morem et elegantiam, cui, me quidem iudice, contrarium videtur et ineptum, *verbis pluribus* uti aliquem in gratiarum actione, quam ipsa res postularet, id est, ut Cicero dicere solet, *amplissimis, singularibus,* seu *pluribus, quam factum esset a ceteris Senatoribus.*“ Attamen Tullius litterate dicit in epistola ad Ser. Sulpicium (Fam. IV, 4.), quam nemo germanam esse negat, *pluribus verbis egi Caesari gratias.* Itaque si *pluribus verbis uti in gratiarum actione* non licebat illo tempore, peccatum hoc est Ciceronis, quem ut poeniteat, tantùm abest, ut gloriose illud praedicet. In sequentibus: „Tertio aut quarto post Christum saeculo, quibus temporibus Eumenius et Panegyrici Latini vixerunt, in tali loco et tempore convenit iusta oratio, non Ciceroniano,“ oratio pro Marcello cum panegyrico et perpetua laudatione comparatur; quasi Wolfium latuisset, eam orationem gratiis Caesari agendis incipere et terminari, in medio autem positam esse disputationem de restituenda et sapienter componenda republica 18). Tertia, quae restat, Wolfii ratio his verbis exponitur: „Denique Plutarchum si audimus, testimonium, quo nullum locupletius optari potest, planissime apparet, illa *plura verba* non explesse modum iustae orationis, quae deinde posset litteris mandari. Testis ipse Caesar est. Nam quum brevi post restitutum Marcellum Cicero pro Ligario dicturus esset, quo tandem pacto potuisset Caesar iis verbis uti, quibus tum usum tradit Plutarchus: *Quid obstat, quominus Ciceronem tanto intervallo audiamus dicentem? Iam pridem nobis certum est, Ligarium improbum esse et hostem.* Audierat scilicet paucis ante mensibus dicentem pro Marcello.“ Plutarchi verba sunt (vit. Cicer. c. 36.): *Λέγεται δὲ καὶ Κοΐντου Λιγαρίου δίκην φεύγοντος, ὅτι τῶν Καίσαρος πολεμίων εἷς ἐγεγόνει καὶ Κικέρωνος αὐτῷ*

16) Conf. Hugii Lucubr. p. 9. et Weisk. comment. p. 43. sq.

17) Cf. Jacobi libell. p. 24. sq.

18) Vid. or. pro Marc. c. 11. „Sed unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Maximas tibi omnes gratias agimus“ etc.

βοηθοῦντος, εἰπεῖν τὸν Καίσαρα πρὸς τοὺς φίλους „Τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος, ἐπεὶ πάλαι κέκριται πονηρὸς ἀνὴρ καὶ πολέμιος;" In quibus dubitanter narratur, quod, etiam si pro certo affirmaretur, nihil efficeret. Nam διὰ χρόνου non significat *tanto intervallo*, quod Wolfius temere statuit, sed *intervallo* aut *tempore interiecto*, quod vel longius vel brevius, quam aliquot mensium, esse possit, prout vel πολλῦ vel ὀλίγυ cogitando addideris 19). Si vero Caesar, teste Plutarcho, post aliquod temporis intervallum, Ciceronem pro Ligario dicentem audivit, profecto necesse est, ut nondum interposito illo tempore idem Cicero ab eodem Caesare auditus sit, aliam quandam orationem dicens. Potestne autem, quum ante gratias Caesari actas silentium sibi Cicero indixisset, ut intelligitur ex epistola, quam supra laudavimus, potestne, inquam, de alia ulla oratione cogitari, nisi de ea, quae pro Marcello dicta est? Plutarchi igitur testimonium illud meo iudicio vel confirmat, *pluribus verbis* significari iustam orationem, quae quidem similis sit Ligarianae.

Quartam orationem, de Haruspicum responsis, non commemorat Cicero in libris, qui ad nostram aetatem pervenerunt 20). Sed accusatorum consensu ad hanc quoque orationem testimonia de reliquis data transferri possunt; si quidem unus omnium auctor est, sive verus, sive personatus Cicero. Qua de re Wolfius in praef. IV. orat. p. 44. „Reliquimus itidem aliud quid, sed longe facilius, cuicumque libeat, demonstrandum, a nobis saepe significatum nulla ratione adiecta, haud pluribus quam uni auctori istas quatuor orationes tribuendas esse. Nimirum hoc non minus certum videbitur eas uno tenore perlegenti, quam omnes adhuc Ciceroni per errorem esse adscriptas." et in praef. Marc. p. 39. „mihi quidem intima familiaritas, quam cum hisce opusculis contrahere debui, prope ad veritatem persuasit, ea ex unius opificis manibus, certe ex unius scholae officina venisse." In eandem sententiam Beckius loquitur in excurs. ad IV. orat. „Etsi in duabus postremis declamationibus plura narrantur, quam in primis duabus, tamen ea est harum declamationum convenientia in omni argumentationis et dictionis modo, ut non pluribus, sed uni auctori tribuendae esse mihi cum Wolfio videantur." Unde hoc efficitur, ut de omnibus orationibus coniunctim et universim, quasi de corpore quodam quinque partium, disputari possit.

Quum igitur ex testimoniis ipsius Ciceronis constet, orationes post reditum in Senatu et pro domo editas esse; quum iure dubitari non possit, quin etiam orationes ad Quirites post reditum et pro M. Marcello, quum habitae, tum scriptae et editae sint: propter similitudinem, quae cum illis intercedit orationi de Haruspicum responsis, hanc quoque a Cicerone conscriptam esse concedes: si duodecim testium, quos statim nominabimus, auctoritate et criminum, quae iniecta sunt, depulsione probatum erit, orationes, de quibus ipsius testimonia Ciceronis attulimus, easdem esse

---

19) Vid. Hermann. ad Viger. p. 856. Weisk. comment. p. 49. sq. Hug. Lucubr. p. 5. sq.

20) Hoc ipsum ne quis miretur, reputet, nuper inventa esse fragmenta orationis de aere alieno Milonis, cuius nullam notitiam viri docti habebant, neque a Cicerone neque ab alio scriptore.

et illas, quae hodie leguntur 21). Quare iam licet ad secundam huius disputationis partem descendere, in qua duodecim, de quibus dixi, testibus citandis, ad eam rem maxime idoneis, ostendere conabor, inde ab interitu Ciceronis usque ad aetatem Prisciani constanter omnes Romanos pro Ciceronianis habuisse eas, de quibus agitur, quinque orationes, neque alios in iisdem causis versantes novisse aut commemorasse, quae deperditae esse existimari possint.

1. Valerius Maximus, qui per aetatem primus est testis, a scriptore nostro mutuatus est duas sententias, quarum altera legitur VI, 3, 1. „Eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit; area vero domus eius, quo iusti supplicii notitia ad posteros perveniret, Aequimaelii appellationem traxit.“ Altera I, 1, in. „Maiores nostri statas sollemnesque cerimonias Pontificum scientia; bene gerendarum rerum auctoritates Augurum observatione; Apollinis praedictiones vatum libris; portentorum depulsa Etrusca disciplina explicari voluerunt.“ Prior imitatio est or. pro domo, c. 38. „Sp. Maelii regnum appetentis domus est complanata. Ecquid aliud? aequum accidisse Maelio populus Romanus iudicavit: nomine ipso Aequimaelii poena comprobata est.“ posterior repetita est ex or. de Harusp. Resp. c. 9. „Qui (Majores) statas sollemnesque cerimonias pontificatu, rerum bene gerendarum auctoritates augurio, fatorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes Etruscorum disciplina contineri putarunt.“ Unde nos colligimus Valerio Maximo notas fuisse illas orationes. Contra Marklandus, (in praef. ad IV oratt. p. 67.) „Apud Valerium,“ ait, „sermo rectus est ac proprius, apud oratorem nostrum vitiosus, certe abhorrens ab optimorum scriptorum consuetudine. Iam minime verisimile est, Valerium ita usum esse verbis Ciceronis, ut huius latinitate non acquiesceret, eamque correctione egere putaret; verisimillimum autem, imperito declamatori placuisse, aliquid surripere a Valerio, sed vestigia plagii oblitterasse immutanda auctoris sui latinitate.“ Vitia, quae deprehensa sunt a Marklando in sermone oratoris nostri, animadversiones ad utrumque locum ostendunt. Ac primum ad or. pro domo, c. 38. copiose docemur, *Aequimaelium* non esse ex eo dictum, quia *Maelio acciderit aequum*, seu quia vir iusta poena affectus sit; sed esse *aequum* seu *planitiem Maelii.* Illam vero tam aperte falsam notationem, quam sequuti sint orator noster et Valerius Maximus, Ciceroni non posse tribui, sed colorem esse declamatorium, ex Valerio derivatum. At scimus, alludendi studiosissimum esse Ciceronem, et pluris in ea re similitudinis elegantiam, quam veritatem notationum aestimari. In promptu sunt aliae notationes, quae Ciceroni placuerunt, eaedemque falsissimae a grammaticis habentur. Ut *superstitionis* et *superstitiosi* de Nat. Deor. II, 28. „Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.“ *fidei,* de Offic. I, 7. „audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta; credamusque, quia fiat, quod

21) Orationem quandam de Haruspicum responsis a Cicerone conscriptam fuisse, etiam Wolfius ponit in praef. IV. orat. p. 39., qui vix dubium esse contendit, quin Auctor nostrae orationis deperditam Ciceronis orationem ante oculos habuerit.

dictum est, appellatam fidem" 22). Nam quod Cicero ipse in hoc etymo iocatur, ad Famil. XVI, 10., id nihil detrahit nostrae sententiae, sed luculentius declarat, de industria eum in notationibus vocabulorum interdum solitum esse leporem tantum ac festivitatem spectare. Omnino autem illud notum est, veterum notationes, quam saepe a vero discedant, ex quibus illa est, (nam alias mittimus hoc tempore) qua testamentum dicebant esse *testationem mentis*, contra quod apposite Gesnerus, ad eam similitudinem necesse esse, ut calceamentum sit *calceus mentis!* Sed redeamus ad propositum nostrum. Non videtur ergo quidquam iustae dubitationis habere, quin Cicero etiam h. l. ad aequitatem supplicii alludere, et *aequum* in *Aequimaelii* nomine argutius, quam verius, pro *iustum* accipere potuerit. Deinde ad or. de Harusp. Resp. c. 9. *Pontificatus* notatur, utpote dictus pro *Pontificum scientia*, et *Augurium* pro *scientia augurali*. At recte Gesnerus monet, *Pontificatum* h. l. poni pro *munere Pontificum*, quae vulgaris est significatio huius vocabuli; item *augurium* non aliter h. l. ponitur, ac de Off. III, 16. „Quum in arce augurium Augures acturi essent." In sequentibus, *fatorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris*, verba *fatorum veteres* propter concinnitatem maxime adiecta sunt, ut huius commatis longitudo eadem fere esset, ac praecedentis. Attamen haec copia ipsa non est vituperanda; siquidem nullum est verbum, quod prorsus abundet, ac nullam vim habeat.

Valerii verba nonnulla speciem interpretationis habent, iudice Beckio, cuius sententiae suffragatur aliorum locorum, qui sumti sunt ex Tullii libris, accurata comparatio. Cicero enim, ut unum afferamus exemplum, de Nat. Deor. III, 34. ait: „Dionysius, quum fanum Proserpinae Locris expilavisset, navigabat Syracusas; isque quum secundissimo vento cursum teneret, ridens, *videtisne*, inquit, *amici, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Atque homo acutus, quum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseverabat: qui, quum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Iovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Iovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus *Gelo*, atque in eo etiam cavillatus est, *aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum;* eique laneum pallium iniecit, quum *id esse ad omne anni tempus* diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit; *neque enim convenire, barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset.* Jam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri; in quibus quod more veteris Graeciae inscriptum esset, *bonorum deorum, uti se eorum bonitate velle* dicebat. Idem victoriolas aureas et pateras coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat; easque *se accipere, non auferre* dicebat: *esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere.* Quae Valerius

---

22) Cf. fragm. de Republ. IV. apud Nonium s. v. *Fides*; et ad Fam. XVI, 10. Adde in Verr. I, 46. „Alii negabunt mirandum esse, iustam nequam esse Verrinum: alii etiam frigidiores erant; sed, quia stomachabautur, ridiculi videbantur esse, quum Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset." et pro Cluent. c. 26. „Guttam adspergit huic Bulbo." in Verr. II, 6. al.

Maximus eodem modo, quem in superioribus exemplis deprehendimus, immutata repetit I, 1. „Syracusis Dionysius genitus tot sacrilegia sua, quot iam recognoscimus, iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit. Fano enim Proserpinae spoliato Locris, quum per altum secundo vento classe veheretur, ridens amicis, *Videtisne*, ait, *quam bona navigatio ab ipsis diis immortalibus sacrilegis tribuatur?* Detracto etiam Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum Tyrannus *Hiero*, e manubiis Carthaginiensium ornaverat, iniectoque ei laneo pallio, dixit, *aestate grave amiculum aureum esse, hieme frigidum: laneum autem ad utrumque tempus anni aptius.* Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit: quod affirmaret, *non convenire, patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici.* Idem mensas argenteas atque aureas e fanis sustulit: quodque in his more Graeciae scriptum erat, *bonorum deorum eas esse, uti se bonitate eorum* praedicavit. Idem victorias aureas et pateras et coronas, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat et eas *se accipere, non auferre*, dicebat: *perquam stultum esse* argumentando, *a quibus bona precaremur, ab his porrigentibus nolle sumere.*" Ergo nihil est verisimilius, quam, quod supra statuimus, Valerium ante oculos habuisse orationes pro domo et de Haruspicum responsis.

2. Asconius Pedianus orationem de Haruspicum responsis, ut Ciceronianam, laudat in Comment. ad quoddam fragm. or. pro C. Cornelio (T. VI. edit. Graev. p. 961.): *P. Africanus ille superior non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso, saepe accusatus est, quod, quum Consul esset cum T. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari.* Ad hunc Ciceronis locum Asconius, postquam ex Valerio Antiate, veteri historico, notavit annum, quo illa Senatus subselliorum secretio facta esset, hanc subiicit annotationem: „Videtur in hac oratione, hunc quidem auctorem (Valerium Antiatem) sequutus, Cicero dixisse, *passum esse* Scipionem secerni a cetero consessu spectacula Senatorum; in ea autem, quam post aliquot annos habuit de Haruspicum responso, non *passum esse* Scipionem, sed ipsum *auctorem fuisse* dandi eum locum Senatoribus, videtur significare. Verba eius haec sunt: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri Maiores ante templum Matris Magnae fieri celebrarique voluerunt? Quibus primum ludis ante populi consessum Senatui locum P. Africanus iterum Cos. ille Maior dedit.* * * 23) hoc tributum esse Senatui scribit, sed sine mentione Megalensium. Aediles enim eos ludos facere soliti erant; votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Long. Coss. fecerunt."

„Non praeterire autem vos volo, esse oratoriae calliditatis, ut, quum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utantur. Nam quum secundum Cice-

23) Sic scribendum videtur pro *Cos. et collega eius Sempronius Longus.* Nomen scriptoris cuiusdam cum Antiate non consentientis desideratur.

ronis opinionem auctore Scipione Cos. Aediles secretum ante omnes locum spectandi Senatoribus dederint; eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia causa popularis erat, premebaturque Senatus auctoritate, atque ob id dignitatem eius ordinis quam possit maxime elevari causae expediebat, poenituisse ait Scipionem, quod passus esset, id fieri: in ea oratione de Haruspicum responso, quia in Senatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuisse dandi, (nam id erat levius) sed ipsum etiam dedisse dicit."

In hoc Asconii loco Marklandus duplicem errorem esse notandum dicit, in praef. ad IV Oratt. p. 73. „Nam prior", inquit, „pars animadversionis Ciceronem tradit in eadem oratione dicere, Scipionem *ipsum auctorem fuisse dandi* eum locum Senatoribus; posterior, non *auctorem fuisse dandi*, sed *ipsum etiam dedisse*. Deinde, quomodo ista talis repugnantia ad calliditatem oratoriam referri possit, equidem non capio." Quod Marklandus se non capere dicit, omnes certe capient ii, qui legerint or. pro Cluent. c. 50. sq., ubi Cicero de huiusmodi dissensionibus, quum alia praeclara, tum etiam haec dicit: „Errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum. Nam si causae ipsae pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem 24)." Reliqua speciem veritatis habent, quae Marklandus monet; attamen non satis accurate is interpretatus est Asconii animadversionem. Cuius prior pars tradit, Ciceronem *videri significare*, non *plane dicere*, in or. de Harusp. Resp., Scipionem auctorem fuisse dandi eum locum Senatoribus; posterior calliditati oratoriae hoc assignat, quod Cicero, quum putaret aut persuasum sibi haberet, Scipionem *auctorem fuisse dandi*, id ipsum non diceret in ea oratione, sed *dedisse illum locum Senatoribus*.

Eiusdem Asconii secundum exstat testimonium in Comment. ad Divinat. c. 6. ad verba: *etiamsi tacent, satis dicunt*. „Tale", inquit, „illud est: *quum tacent, clamant*, et *victoriam ipsam vicisse videris*, et *philosophandum est, etiamsi non est philosophandum*. Haec in loco nec oxymora, nec cacozela iudicanda sunt. Aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur; ut est illud: *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio;* et illud, quod sequitur, *verum non tacent*." Verba *vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio*, et *Victoriam ipsam vicisse videris* in oratione pro M. Marcello leguntur, §. 12.

Non contigit mihi quamvis permagno studio nancisci aut legere fragmenta veterum scholiorum in Marcellianam orationem, quae nuper inventa sunt ab Angelo

24) Cf. Brut. C. 11. „At ille ridens, suo vero, inquit, arbitratu; quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius." et ib. c. 12. „Quod iudicaret, hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere."

Maio, quaeque Asconio Pediano adscribuntur. Quamobrem ego commemoranda quidem ea putavi h. l., at de lite, quae intercedit eorum inventori cum viro illustri Niebuhrio, qui negat, ab Asconio Pediano scripta esse, cognoscere et iudicare non potui.

3. Fabius Quintilianus orationem de Haruspicum responsis, ut Ciceronianam, laudat I. O. V, 11, 42. „Ponitur a quibusdam, et quidem in parte prima, deorum auctoritas, quae est ex responsis; ut Socratem esse sapientissimum. Id rarum est; tamen utitur ea Cicero in libro de Haruspicum responsis.“ De oratione pro domo refert, eandem causam a M. Calidio dictam esse, I. O. X, 1, 23. „Quin etiam easdem causas, ut quisque egerit, utile erit scire: nam pro domo Ciceronis dixit Calidius: et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat.“

Huius eruditissimi rhetoris auctoritatem convellere conatur Marklandus eo, quod monet in praef. ad IV Oratt. p. 75., ab eodem Fabio, ut Sallustianam, laudari duobus locis (IV, 1, 68. et IX, 3, 89.) invectivam orationem in Ciceronem, quam hodie omnes pro supposita habeant. At Cortius, nobilissimus interpres huius declamationis, ostendit, utrumque Fabii locum interpolatum esse, sic argumentando: „Posteriore quidem loco in vet. cod. Almeloveenii non legi ista Sallustiana, testatur cl. Burmannus; neque ab illo scripta ea esse, pro certo affirmare possum. Atque idem de priore censeo. Quum forte litterator aliquis (non dicam, ipse Auctor, quisquis fuerit, quo ingenii sui monumento auctoritatem conciliaret) pro exemplo margini ista adscripsisset, factum est, ut postea in contextum irrepserint. Hoc altero loco vetus codex, altero autem ipsa constructio valde verisimile efficiunt.“

4. Plutarchus in Vit. Cic. c. 31. narrat id, quod traditur etiam ad Quirites post reditum §. 8., pro Cicerone vestem mutasse hominum viginti millia. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τῷ Κικέρωνι πρῶτον μὲν ὀλίγου δεῖν σύμπαν τὸ τῶν ἱππικῶν πλῆθος συμμετέβαλε τὴν ἐσθῆτα καὶ δισμυρίων οὐκ ἐλάττους νέων παρηκολούθουν κομῶντες καὶ συνικετεύοντες.* Ib. c. 33. Cicero dicitur, gloriatus esse, se reportatum humeris Italiae; quod uno tantum loco fit in eius scriptis, nempe sub finem or. post reditum in Senatu. Verba Plutarchi sunt: *Καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας· ἔφη γάρ, αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν.*

5. Nonius Marcellus s. v. *imitatio* e cap. 1. or. pro Marcello recitat: *illo aemulo atque imitatore studiorum meorum.* Id mirum videtur Wolfio (praef. Marc. p. 9.), cui de consulari viro displicet voc. *imitator*, etsi de minore natu. At Weiskius docet (comment. ad Marc. p. 29.), *imitatorem* non solum esse eum, qui ad alterius exemplar se componere studeat neque id prorsus assequatur, sed etiam simpliciter, qui idem agat, eadem studia sequatur; ita, ut hoc non simul significetur, eundem esse inferiorem et rem suam agere deterius, sed ut etiam aemulum illum superare possit. Atque etiam Brutus affirmat, Marcellum fuisse imitatorem Ciceronis, in Tull. libro de claris orator., c. 71. „Vidi enim Mitylenis nuper virum (Marcellum),

atque, ut dixi, vidi plane virum. Itaque quum eum antea tui (Ciceronis) similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissimo viro, tibique, ut intellexi, amicissimo, Cratippo, instructum omni copia, multo videbam similiorem.“

6. Dio Cassius memoriae prodit lib. XXXIX, c. 9., reversum esse Romam Ciceronem, factaque sibi a Consulibus potestate, Senatui in curia populoque in concione gratias egisse. Idem actionis pro domo ad Pontifices mentionem facit lib. XXXIX, c. 11. „Cicero igitur denuo reviguit, et non modo ceteras fortunas suas, sed aream quoque aedium suarum recuperavit; quamvis ea libertati dedicata esset et consecrata. Ille enim legem curiatam, quo Clodius ad plebem adoptione traductus erat, reprehendens, quod ex instituto maiorum per trinundinum promulgata non fuisset, omnem eius tribunatum, in quo de domo constituerat, evertit; affirmans, nihil ab eo Tribuno pl. iure fieri potuisse, qui ipse contra ius ad plebem transisset: atque ita Pontificibus persuasit, ut sibi aream, quae ab omni religione vacua et pura esset, adiudicarent. Sic Cicero et aream domus suae et pecunias instaurandis aedibus ceterisque suis facultatibus, quibus damnum illatum erat, reparandis adeptus est.“

7. Aquila Romanus, qui librum de figuris sententiarum et eloquutionis scripsit, p. 149. Ruhnk. refert e cap. 13. or. pro domo: *Videsne me non radicitus evellere totum tribunatum?* et pag. 160. e cap. 5. eiusdem orationis: *Quis est iste Lollius? Armiger Catilinae, stipator tui corporis, concitator tabernariorum, percussor, latrator fori, depopulator curiae.*

8. Arnobius, adv. Gent. IV, p. 148. (edit. Heraldi p. 186.) „In cerimoniis“, inquit, „vestris rebusque divinis postulionibus locus est, et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam aut simpuvio deerravit, aut si rursus in sollemnibus ludis curriculisque: commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, *si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit; aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.*“ In quibus manifesto imitatus est or. de Harusp. resp. c. 11. „An, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam aut lorum omisit, aut si Aedilis verbo aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti?“

9. Rufinianus, in libro de figuris sententiarum et eloquutionis, ex or. pro domo, c. 9. et c. 18. *Aporiae* et *Sarcasmi* exempla affert, alterum p. 203. *Tibi litteras ille misit? quas? Aut nunquam misit, aut si misit, in concione recitari noluit. Itaque sive ille misit, sive tu protulisti: certe consilium tuum de honore Catonis nudatum est;* alterum p. 200. *Sexte noster, quoniam etiam iura ligurris.*

10. Cl. Mamertinus, quum scriberet Grat. Act. ad Iulian. c. 31. „Nunc si tibi, Imperator, parum ampla nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quaeso obtestorque te, ne meae id naturae potius, quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum:“ aperte memor fuit or. post red. in Sen., init.: „Si, Patres Conscripti, pro vestris immortalibus in me fratremque meum liberosque nostros meritis

parum vobis cumulate gratias egero; quaeso obtestorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum putetis." Idem ante oculos habuit or. ad Quir. post red., c. 10.: „Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam quum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto semperque praestabo, mihi neque in consiliis de republica capiendis diligentiam, neque in periculis a republica propulsandis animum, neque in sententia simpliciter referenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis libertatem, nec in perferendo labore industriam, nec in vestris commodis augendis gratam animi benevolentiam defuturam:" quum poneret in Grat. Act., c. 32.: „Quum anima defecerit, monumenta tui in me beneficii permanebunt; in referenda autem gratia, sanctissime Imperator, hoc tibi polliceor semperque praestabo, mihi neque in suggerendis consiliis veritatem, neque in adeundis, si res poposcerit, periculis animum, neque in sententia simpliciter ferenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro republ. teque laedendis libertatem, neque in laboribus perferendis industriam, neque in augendis imperii tui commodis grati animi benevolentiam defuturam."

11. Servius, ad Virg. Aen. VIII, 269., Ciceronem auctorem laudat, qui in or. de domo sua, Pinarium Nattam appellans, sic dicat: „*Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae proditum est, ab ipso Hercule, perfuncto iam laboribus, sacra didicisse.*" Quae verba leguntur in or. pro domo, c. 52.

12. Priscianus e cap. 17. orationis pro domo repetit: *vobismet ipsis, Pontifices,* lib. XII, p. 947.; e cap. 3. or. pro Marcello: *simillimum deo iudico,* lib. III, p. 605.; e cap. 7. eiusd. orat.: *ut si in alterutro peccandum sit, malim timidus, quam parum prudens videri,* lib. V, p. 667.; e cap. 8.: *Tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris,* lib. XVIII, p. 1125.

Ad hos duodecim testes fortasse quatuor addi possunt, Lactantius, Charisius, Ammianus Marcellinus et Macrobius 24). Quum vero minus certum sit ex ipsorum scriptis, ab his lectitatas esse pro Ciceronianis orationes, quas defendimus: eo lubentius eorum testimonia silentio praetermittimus, quod muneri a nobis suscepto illis, quae recitata sunt, satis fieri posse non desperamus. Nam singuli testes, quos nominavimus, ita succedunt inter se per temporis intervalla, ut notitiam orationum et nomen scriptoris quasi per manus sibi tradere possent. Quare iam nulla difficultas supererit, si quidem (quod Wolfius pronuntiat in praef. Marc. p. 10.) nos credere oportet Asconiis, Quintilianis, reliquis illorum temporum grammaticis et rhetoribus, satis vetustum esse, quod ab ipsis laudatur pro vetusto, certe non ab aequalibus suppositum. Nam tempus nullum inter eos, qui nostras orationes pro Ciceronianis laudant, relinquitur, quo spurias orationes in locum germanarum substitui potuisse putemus: si modo unius aetas ad alterius adiungatur,

24) Vid. Lactant. de vero cultu c. XI. et Inst. divin. V, 9, 17. Charis. p. 74. Ammian. XV, 5. Macrob. Sat. II, 3.

et cuique de suis aequalibus fides adhibeatur. Sed ne cupidius ea, quae adversariis in commodum nostrum vel invitis exciderint, surripere videamur: agite, rationes etiam, quibus Marklandus et Wolfius fieri potuisse putant, ut veri Ciceronis orationes cum falsarii declamationibus confunderentur, diligenter examinabimus, et, quam probabilis quaeque sit, accurate videbimus.

Marklandus orationum confectionem inter editum Valerii librum et Asconii commentarios, vel inter annos U. C. 786. et 795. ponit, et Asconium, Quintilianum reliquosque testes ab earum scriptore, de industria falsarium agente, in errorem inductos esse censet (praef. p. 76.). Wolfius autem raro accidisse arbitratur (praef. Marc. p. 28.), ut imitator scholasticus, edendis talibus scriptis, doctos homines ludere vellet, neque eam suspicionem in hunc personatum Ciceronem cadere, sed quae a Pediano, Quintiliano et aliis laudentur orationes, non omnino easdem esse, quas hodie habeamus in manibus (v. praef. IV. Oratt. p. 39.). Nostras autem orationes aliquanto ante Asconium, imperante Tiberio, scriptas esse, verisimillimum esse ducit (praef. Marc. p. 38.).

Nullam Marklandus causam affert, cur inter editos Valerii et Asconii libros orationes conscriptas esse putemus, nisi quae supra, ut opinor, refutata est. Nempe verisimillimum esse, imperito declamatori placuisse, aliquid surripere a Valerio, sed vestigia plagii oblitterasse immutanda auctoris sui latinitate; propterea quod melior Valerii latinitas, quam nostri oratoris videatur. Quum vero Beckius, summo iure reiecta Marklandi ratione, ad or. de Harusp. resp. l. l. monuit, fortassis utrique, et Valerio et nostro, communem quendam fuisse fontem, unde peterent: mittamus omnino Valerium, et videamus, an Asconio, qui proxime sequitur, verba facere fraudator aliquis aut falsarius potuerit.

Asconii Pediani annotationes ad orationem pro Scauro post a. U. 795. editas esse, constat ex ipsius verbis ad §. 45. „Possidet eam (domum Scaurianam) nunc Largus Caecina, qui Consul fuit cum Claudio.“ Etenim Largus Caecina Consul fuit cum Claudio imperatore et Consule II. a. U. 795. Sed constat etiam ex annot. ad or. pro C. Corn., c. 1., eundem Asconium fuisse familiarem Livii, qui decessit a. U. 771.; constat ex Servii testimonio ad Virg. Ecl. IV, 11., eum audivisse Gallum, Asinii Pollionis filium, qui fuit Consul a. U. 746.; constat denique ex Servii et Philargyrii testimoniis ad Virg. Ecl. III, 105., eum audivisse etiam Virgilium loquentem, qui obiit a. U. 735. Itaque natus est Asconius paullo post mortem Ciceronis, qui occisus est a. U. 711., et necesse est, eum adolevisse, dum filius Ciceronis, discipuli et familiares permulti superstites erant, qui vera eius scripta propagarent, neque sane cum aliorum declamationibus confundi paterentur 25). Quapropter equidem non intelligo, quomodo fieri potuerit, ut Asconius a falsario deciperetur. Wolfii autem sententia tametsi non iisdem, quibus Marklandi, difficultatibus premitur videturque hoc esse probabilior, quod Asconios, Quintilianos, Aquilas, Rufinianos immunes ab errore

25) De discipulis vid. Quintil. XII, 11, 5. sq. et Cic. ad Fam. VII, 33. IX, 7. 14. 16. 18.

praedicat; tamen vide, obsecro, quam incredibile sit, germanas, quas illi habuerint, orationes a Servio et eius aequalibus 26), qui cum Rufiniano et Mamertino in eodem saeculo vixerunt, cum spuriis et subditivis orationibus subito commutatas esse; quum praesertim neque scriptor ullus commemoret eiusmodi declamationes, quae in locum Tullianarum orationum substitui potuerint, nec dici queat, quo singulari casu harum omnia exempla, in summa quidem frequentia bibliothecarum ac maximo studio legendi imitandique Ciceronis, interemta sint. Nam id minime vereor, ne cui in mentem veniat, tum quum possent utriusque auctoris scripta comparari, scholastici declamatoris foetus cum praestantissimis Ciceronis orationibus confusos esse. Adde infirmitatem argumenti, quo nititur illa Wolfii coniectura. Nam probabilis visa est accusatori, quum locos a Pediano, Aquila et Rufiniano ex oratt. pro domo et de Haruspicum responsis allatos consideraret et cum textu nostro conferret. Itaque propter discrepantiam, quam inter illos locos et nostras orationes deprehendit, alias fuisse, ex quibus illi peterentur, orationes coniecit. Neque iniuria id faceret, si minor esset discrepantia inter locos aliarum orationum ab iisdem scriptoribus allatos et inter ipsas illas orationes. Verum istud, quo modo se habeat, et quam Wolfii coniectura praecipitata sit, id minime dubium relinquet accurata similium exemplorum consideratio, quorum unum alterumve, quod exstat apud Aquilam Romanum, ex quo de Pediano et Rufiniano coniici potest, hoc loco in medium afferre placet. Verba Ciceronis pro Milone, c. 27., *de qua, si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni, palam clamare atque mentiri gloriose liceret*, apud Aquilam hoc modo contrahuntur, p. 149. *Quodsi non possem diluere crimen, ut dilui, tamen gloriose haec praedicare Miloni liceret.* Item, qui locus apud Aquilam sic legitur, p. 146. *Quid Sex. Naevius? Ridet nostram amentiam scilicet, quum ab eo officia boni viri desideramus. Et quemadmodum natus, inquit, et quemadmodum educatus sum, memini. Vetus est, de scurra divitem facilius, quam patrem familias fieri posse:* apud Ciceronem plenior est, pro Quintio, c. 17. *Quid ad haec Naevius? Ridet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus, et instituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? Viderint, inquit, illa officia viri boni: de me autem ita considerent: non quid habeam, sed quibus rebus invenerim, quaerant. Et quemadmodum natus, et quo pacto educatus sim, memini. Vetus est, de scurra multo facilius divitem, quam patrem familias fieri posse.* Denique Cicero in Verr. II, 10. ait: *Comites illi tui delecti, manus erant tuae: praefecti, scribae, medici, accensi, haruspices, praecones erant manus tuae. Ut quisque te maxime necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur;* aliter habet Aquila, p. 160. *Comites illi delecti manus erant tuae. Ut quisquis te familiaritate attigerat, ita maxime manus tua putabatur.*

Tertia pars nostrae disputationis in depellendis criminibus, quae iniecta sunt in ipsas orationes, versabitur. Quum vero tam magnus sit numerus animadversionum,

26) Vid.: Wolf. ad orat. p. domo, c. 52.

ut angustis finibus huic libello praescriptis omnes contineri nullo modo possint; necesse est, ut dividamus et partem quandam seligamus, ex qua de reliquis per coniecturam iudicari possit. In quo manifestum est, si difficillimos locos expedire et suspicionibus liberare contigerit, eos, qui levioribus notati sint criminibus, eadem via ac ratione facilius defendi posse. Quamobrem, si qui erunt, quibus, has orationes a Cicerone scriptas esse, non possit persuaderi, nisi refutatis omnibus animadversionibus, his quidem pollicemur, brevi tempore commentarios in singulas orationes nostra opera prodituros esse, in quibus ne tenuissima quidem suspicio neglecta sit (nisi forte tam dura fuerit huius scriptionis fortuna, ut eandem rursus experiri in hac causa non videatur utile esse): qui autem minus pertinaces erunt et aequiores iudices, pro quibus haec scripta est disputatio, hi permoveri se patientur, ut equidem spero, si locos a Beckio notatos, ut vitiosissimos, et ex quibus commodissime declamatoris inscitia cognosci possit, vitiis omnino vacare et a Ciceronis eloquentia non alienos esse intellexerint. Ad hos igitur locos defendendos succincti nunc digrediamur oportet.

I. Beckius de oratione post reditum in Senatu sic iudicat in excurs. ad IV. oratt.: „Praeter dispositionis locorum et partium vitia, quae in oratione de scripto recitata excusari nequeant, leguntur plura, quae cum historia illorum temporum non facile concilientur (c. 3. 4. 5. 7. 12. 14.), non pauca puerilis ingenii, affectatae dictionis, verborumque contra Cic. usum loquendi usurpatorum exempla (2. 7. 11.).“

Dispositionem locorum et partium in hac oratione non modo non vituperandam, sed admodum laudandam esse, ex argumento, quod paucis describam, intelliges. Ab initio enim orator Senatui universo, deinde magistratibus, h. e., Consulibus, Tribunis pl. et Praetoribus, animum pro summo in se collato beneficio gratissimum testatur, ita ut castiget simul Gabinium et Pisonem, qui anno superiore Consules fuerant; addit laudes singulares P. Lentuli, Cn. Pompeii, T. Annii, P. Sextii, quos duces, principes atque auctores suae salutis vocat; tum breviter reddita ratione consiliorum, quibus in patria relinquenda usus sit, ad perorationem descendit, qua perpetuum suum de civitate bene merendi studium pollicetur.

Inter ea, quae cum historia illorum temporum non facile concilientur, primum hoc est, quod c. 3. *Consulis fasces fracti* dicuntur. Nam intelligi volunt adversarii P. Lentulum, cuius fasces fractos esse, nemo nisi huius et sequentis orationis auctor tradat. Verba scriptoris sunt: „Quo quidem tempore, quum is excessisset, qui caedi et flammae vobis auctoribus restiterat, cum ferro et fascibus homines tota urbe volitantes, magistratuum tecta impugnata, deorum templa inflammata, summi viri et clarissimi consulis fasces fractos vidistis.“

In quibus explicandi causa adiecta sunt verba, *quum is excessisset, qui—restiterat,* ut ne quis aliud tempus, quam quod Cicero in exsilio degit, intelligat. Atqui Tullius ex urbe cessit mense Martio a. U. 696., Consulibus L. Pisone et A. Gabinio. Post eius discessum in tumultu quodam eiusdem anni fasces Gabinii fractos esse,

testatur or. in Pison. c. 12. Quare non dubitamus, quin Scriptor Gabinii fasces cogitarit. Verba honorifica, *summi viri et clarissimi Consulis*, spectant ipsius Consulis Romani, non hominis, qui consul erat, dignitatem (vid. Wyttenbach. ad Cic. de Leg. I, 5). In altera post reditum oratione, c. 6. nullum honoris epitheton adiectum est.

Verbum *excedere*, h. l. positum pro *egredi ex Urbe*, Ernestio et Wolfio displicet, quibus nunc satis facere nolumus, quia locus noster ab illa parte non est notatus a Beckio. Ita etiam in reliquis locis ea tantum defendere conabimur, quae ab eodem viro, ut in primis vitiosa, nobis demonstrata erunt.

C. 4. „Quum praeclarum caput recitaretur, ne quis ad vos referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset."

Ne pedibus iret, scil. *in sententiam cuiusquam*. Haec verba numquam non adiici solere et prorsus necessaria esse, Marklandus contendit, qui sibi h. l. tenere videtur vestigium hominis provincialis, atque, ut eius imperitiam magis ostendat, eodem iure scribere licuisse dicit, *ne quis adesset*, ubi legatur, *ne quis scribendo adesset*. Attamen *adesse* quis potest variis modis atque rationibus, quarum una definitur adiecto *scribendi* verbo: *pedibus ire* certa quaedam est formula, cuius notio et significatio, si componatur cum verbis *referendi*, *decernendi*, aliis in Senatu usitatis, non potest ambigua esse; ita ut addere *in sententiam*, non habeas necesse, nisi ipsam definire sententiam volueris, in quam pedibus eatur. Sic Liv. V, 9. „In *quam* sententiam, quum pedibus iretur." Cic. ad Q. Fr. II, 1. „Ibatur in *eam* sententiam." Porro Marklandus notat cumulatas loquutiones in hoc capite, cuius carmen servarit Cic. ad Attic. III, 15, s. f. „Scripsisti ad me, quoddam caput legis Clodium in curiae poste fixisse: *Ne referri, neve dici liceret.*" In quo velim consideres, aliud epistolam esse, aliud orationem. Quod epistolae scriptor breviter enarrat, id pluribus verbis amplificat orator. Itaque Tullius h. l. pro *dici* varias *dicendi rationes* ponit, atque insuper addit amplificatione oratoria *pedibus ire* et *scribendo adesse*, ut singulis enumerandis partibus auditorum animos gravissime percutiat.

C. 5. „Quum vos (Senatores) vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis, atque idem omnes boni iam ante fecissent; ille unguentis oblitus cum toga praetexta, quam omnes Praetores Aedilesque tum abiecerant, irrisit" etc.

Quaerit hoc loco Marklandus, annon ex eo, quod Auctor mentionem Praetorum et Aedilium seorsum fecerit, dubitandi causa sit, an is satis norit instituta Romana, scieritque, omnes Praetores et Aediles fuisse eosdem Senatores. Cui Gesnerus respondet, aliud esse, vestem mutant cuncti Senatores, seu sordidam vestem sumunt pro candida: aliud esse, praetextam (vestem magistratuum propriam) abiiciunt, qui ius illius habent. Quare etiam Wolfius Marklandi suspicionem de ignorantia Scriptoris improbat.

C. 7. „Capuaene te putabas, in qua urbe domicilium quondam superbiae fuit,

Consulem esse, sicut eras eo tempore, an Romae, in qua civitate omnes ante vos Consules Senatui paruerunt?"

Consulatus Capuanus s. *Campanus*, iudice Marklando, non minus absurda res est, quam Ciceronis aetate *regnum Romanum*. Itaque hoc egregium censori videtur specimen inscitiae publicarum rerum et scriptorum Ciceronis et conditionis, qua usa sit illa urbs inde a tempore Hannibalis. Ac si constaret, per ignorantiam a Scriptore Consulem dici pro Duumviro, causam esse relinquendam putarem. At Cic. ad Att. scribit, epist. II, 6. „Quin etiam dubitem, an hic, an Antii considam, et hoc tempus omne consumam; ubi quidem ego mallem Duumvirum, quam Romae me fuisse." In quibus Duumvir pro Consule dicitur, ut nostro loco Consul pro Duumviro, propter similitudinem earum dignitatum. Accedit, quod ipse Piso Campanus Consul vocatur in Pison. c. 11. „Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum adspexit, Campanum Consulem repudiavit." Erat autem Piso eodem tempore et Capuae Duumvir et Romae Consul.

C. 12. „Nostra memoria Senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant: in meo periculo Senatus veste mutata fuit."

Hic nulla dubitatio exorta esset, si Scriptor priore loco dixisset Senatus, et posteriore Senatores, aut iterum Senatus. Nunc quaeri potest, utrum singulorum an cunctorum Senatorum, utrum ordinis an hominum pericula cogitarit. Si pericula singulorum Senatorum intelligenda essent, tum nescirem, quomodo haec sententia defendi posset; sin autem significavit Scriptor cunctorum Senatorum seu ipsius ordinis Senatorii pericula, tum nihil est, quod reprehendas. Ad illam interpretationem criminandi studium perduxit accusatores, ad hanc vero diligentia Scriptoris, qui secundo loco dixit Senatus, ut ordinem indicaret, et, quod maximum est, ipsa rerum veritas omnes perducet, qui sine praeiudicio consilium inire voluerint.

C. 14. „Mecum leges, mecum quaestiones, mecum iura magistratuum, mecum Senatus auctoritas, mecum deorum et hominum sanctitates omnes et religiones afuerunt."

„O casum infelicem," sic clamat Marklandus, „quo contigit, ut ipso Cicerone teste cognorimus, Nonis Sept., quo die Senatui gratias egit, et pridie eius diei, frumentum omneque genus annonae in Urbe artissimum et carissimum fuisse. Ita scribit ipse ad Att. IV, 1. relatis rebus illorum dierum: *Eo biduo, quum esset annonae summa caritas* etc. Iam quid responderi potest? *Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane colorem.*" Respondet Gesnerus: „Si de vilitate loquatur per Pompeii vel administrationem vel nomen procurata, ilicet! exsequias eamus his orationibus post Reditum." Sed succurrit tempestive locus or. pro domo, c. 6., qui rem omnem expedit. „Quum de mea dignitate (restituenda, paullo ante reditum, quod series rei gestae declarat) in templo Iovis O. M. frequentissimus Senatus — decrevisset, *subito, illo ipso die*, carissimam annonam nec opinata vilitas consequuta est. Erant, qui deos immortales,

id quod ego sentio, numine suo reditum meum dicerent comprobasse, nonnulli autem illam rem ad rationem coniecturamque revocabant. Qui, quod in meo reditu *spes* otii et concordiae sita videbatur, in discessu autem *(h. e. Ciceroniano more, absentia)* quotidianus seditionis timor, iam paene belli depulso metu, commutatam annonam dicebant: quae quia rursus in meo reditu facta erat durior, *(hoc est illud biduum, de quo ad Atticum scribit)* a me, cuius adventu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur."" Quid ad haec Wolfius? „Credamus," inquit, „quod iubemur, *illo ipso die,* quum de viro reducendo lex esset perlata, vel etiam antea, quum id Senatus decresset, subito carissimae annonae nec opinatam vilitatem successisse. At aliquot diebus post, atque sub ipsum reditum Ciceronis, *rursus durior facta est annona: ante oculos propositum erat periculum, non iam caritas timebatur, sed plane inopia ac fames; adeoque ab ipso annona flagitabatur:* Or. pro domo §. 11. Nam calamitatis causam in ipso Cicerone esse Clodiani clamabant, ut narratur ad Attic. l. l. His ergo diebus (eo biduo, quod primum egit in Urbe) Ciceronem, puto, credidit Marklandus, de priore illa *subita vilitate* loqui nullo modo potuisse." Mea sententia tolletur omnis difficultas, si repentinas commutationes rei annonariae factas esse cogitemus opera et artificio Pompeii, qui rei frumentariae potestatem quaereret, utque ea sibi daretur, per Ciceronem maxime se perfecturum speraret. Erat igitur Pompeius, qui furtim efficeret, ut illo ipso die, quo Senatus de Ciceronis dignitate decreverat, carissimam annonam nec opinata vilitas consequeretur; erat Pompeius, qui dolose curaret, ut in eius reditu rursus annona fieret durior; erant Pompeiani, qui dictitarent, eius adventu fore vilitatem. Neque Cicero videtur ipse dubitasse, quin annona convalesceret, ac frumenti copia rediret, si Pompeio data esset huius rei potestas. Propter hanc causam Orator in hac prima post reditum habita oratione significat, fore ut annona levaretur; in altera (c. 8.), quum in ipsius sententiam Senatusconsultum esset factum, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur, affirmat, secum esse frugum ubertatem restitutam; in tertia denique pro domo (c. 7.), quum Consules legem perscripsissent, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur, rempublicam annonae nomine in id discrimen, quo vocata esset, non esse venturam dicit. Atque, ut ipse Marklandus ait, Middletonus vere narrat in vit. Cic. T. II, p. 5. seqq.: Pompeiani nominis auctoritate continuo levatam esse annonam, eiusque viri diligentia atque procuratione omnibus locis vilitatem revocatam. (Conf. Cicero's Briefe übers. und erläut. v. C. M. Wieland, Stuttgart 1814, Bd. II, S. 139. sqq.) — Sequuntur exempla puerilis ingenii, affectatae dictionis, verborumque contra Cic. usum loquendi usurpatorum.

C. 2. „Nam Consules modesti legumque metuentes impediebantur lege. Non ea, quae de me, sed quae de ipsis lata erat; quum meus inimicus promulgavit: ut, si revixissent ii, qui haec paene delerunt, tum ego redirem. Quo facto utrumque con-

fessus est, et se illorum vitam desiderare, et magno in periculo rempublicam futuram, si aut hostes atque interfectores reipublicae revixissent, aut ego non revertissem."

Tria sunt, iudice Beckio, in h. l. obscura: 1) quo iure illa lex non de Cicerone, sed de Coss. lata dicatur; 2) quomodo haec verba legi a Clodio promulgatae adscribi possint; 3) quem sensum commodum fundant illae argutiae: *si aut hostes revixissent, aut ego non revertissem.*

Manifestum est, h. l. facete et invidiose loqui Oratorem, quum prima statim verba per ironiam dicta esse, nemo non intelligat. Neque igitur in sequentibus est mirandum, quod Cicero, contumeliose interpretatus Clodii verba, lege, qua cautum erat, ne quis de revocando Cicerone in Senatu referret, Consules insimulari hostes esse reipublicae ipsamque legem de iisdem esse latam, significat. Argumentatio haec mihi videtur subesse. Ex clausula, *si revixissent ii, — tum ego redirem,* qua Clodius volebat prohibere, ne Tullius umquam rediret 27), hic ita interpretatus, quasi sententia esset: *non fore, ut ipse rediret,* nisi in vitam revocati essent Catilinae socii, s. revocatum in vitam iri Catilinae socios, simul ac ipse rediret, colligendum esse contendit, *Consules Gabinium et Pisonem germanos esse Lentulos, germanos Cethegos.* Illi enim simillimi erant horum hominum, qui paene delevisse rempublicam dicuntur. Quare, si necesse erat ex Clodii verbis, ut Catilinae socii in vitam revocarentur, simul ac Cicero rediret, nihil erat verisimilius atque probabilius, quam ut in Consulibus illi revixisse putarentur, quum Cicero restitutus esset. Monebat ergo lex Clodii Consules, utne Ciceronem revocari paterentur, nedum ipsi referre de restituendo Cicerone conarentur; atque haec causa est, cur de Consulibus ista lex esse lata dicatur. Verba *qui haec paene delerunt* ab Oratore suo nomine et iudicio substituta sunt in eorum locum, quibus Clodius fortasse usus erat: *qui indemnati a Cicerone interfecti sunt.* Ita Horatius in Epist. I, 2, 9. sq.

(Antenor censet belli praecidere causam
Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat.)

suo nomine dicit: *ut salvus regnet vivatque beatus,* quum ex sententia Paridis dicendum esset: *ut Helenam reddat Menelao.* Adde Cic. pro Sext., §. 29. „edixitque, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta, quod esset ausus pro cive, pro bene merito cive, pro amico, pro republica deprecari." et de prov. Cons., §. 12. „Piso autem alio quodam modo gloriatur, se brevi tempore perfecisse, ne C. Gabinius unus omnium nequissimus existimaretur. Denique argutiae: *si aut hostes revixissent, aut ego non revertissem,* idem fere significant, ac si dixisset: *in minore periculo*

---

27) Similiter Hor. Epod. XVI, 25. sq.

„Sed iuremus in haec: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas." etc.

De conditione ipsa conferri potest or. pro Milone, c. 29. „Fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit."

futuram non fuisse rempublicam, si ego non revertissem, quam si Catilinae socii seu *hostes atque interfectores reipublicae revixissent.* Nam Clodius, quum pateretur ea conditione Ciceronem revocari, si Catilinae socii revixissent, hac ipsa conditione indicavit, pro scelere suo se tanti aestimare Ciceronis exsilium, quanti illorum vitam restitutam. Neque vero tam insanae mentis ipse erat, ut ex Catilinariis in vitam denuo excitatis magnum reipublicae periculum exstiturum non intelligeret; quare etiam, si Cicero non revertisset, in magno periculo futuram fuisse rempublicam, confessus esse sumitur, quum illam conditionem ferret, ut Tullius rediret, si hostes atque interfectores reipublicae revixissent. Restat, ut pauca moneam de loquutione *reipublicae interfector* aut *rempublicam interficere,* quae dura Marklando videtur metaphora. Credo, quia respublica cum homine comparatur. Idem fit in Catil. III, c. 1. „gladios in rempublicam districtos retudimus." in Pison., c. 11. „de corpore reipublicae tuorum scelerum tela revellente." ib. c. 29. „in sepulchro reipublicae incisum est." pro Sext., c. 10. „rempublicam contrucidaverunt."

C. 7. „L. Piso, tune ausus es isto oculo, non dicam isto animo; ista fronte, non vita; tanto supercilio, non enim possum dicere tantis gestis, cum A. Gabinio consociare consilia pestis meae?"

Hic primum iniuria Scriptor reprehenditur, propterea quod Pisonem absentem alloquitur, ut praesentem. Nam Cic. pro Sext. c. 14. alloquitur eundem Pisonem, quo tempore Macedoniam administrabat: „Parumne est, Piso, ut omittam Gabinium, quod tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem Senatus?" pro Milone, c. 37. Q. fratrem, Caesaris legatum in Gallia versantem: „Quid tibi, Q. frater, qui nunc abes?" Phil. I, 13. „Tu autem M. Antoni, (absentem appello)," etc. Deinde absurda dicuntur antitheta: *isto oculo, non dicam, isto animo,* etc. Quibus Orator indicat, Pisonem oculo, fronte, supercilio, eam sibi personam imposuisse, quam alii animo, vita, rebus gestis suscipiant. Concinunt ea, quae pro Sext. c. 3. dicuntur: „Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio res publica, tamquam Atlante Coelum niti videretur. Erat denique hic omnium sermo: *Est tamen reipublicae magnum firmumque subsidium; habeo quem opponam labi illi atque coeno (Gabinio); vultu medius fidius, collegae sui libidinem levitatemque franget.*" Denique audax recte et negligens existimationis suae vocatur, si quis eam gravitatem, quam vel oculo, fronte, supercilio, non animo, vita, rebus gestis habeat, quaque homines decipere possit, ut virum fortem existiment, negligat atque cum eiusmodi viro se coniungat, cuius si similis habeatur, frontis integumento diutius uti ad occultanda flagitia nequeat. Quare ne hoc quidem iure statuitur ab adversariis, pro *ausus es* h. l. aptius fuisse, *non puduit te, nonne te indignum visum est?*

C. 11. „Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives, sed equis insignibus et curru aurato reportati."

Currus triumphalis auratus erat, et quatuor equis albis trahebatur. Est igitur elegans, ut notat Ernestius, triumphi periphrasis in verbis *equis insignibus* et *curru aurato.* Quaeritur, an Tullius reditum suum magna frequentia magnoque splendore celebratum triumpho comparare potuerit. Hoc negant Marklandus et Wolfius, affirmant Gesnerus, Ernestius, Weiskius. Quorum opinioni suffragatur, quod Cicero etiam se humeris Italiae reportatum esse gloriatur, et quod nihil inexspectati est in illis verbis; quum praecedat grandis sententia: „Quo die quis civis fuit, qui fas esse putaret, quacumque aut aetate aut valetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium; quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?" Quod vero Ernestius declarat, minus invidiosam esse descriptionem proprio vocabulo triumphi, id iure videtur animadvertisse, quia triumphi vocabulum, ut Weiskius ad h. l. monet, in animum facilius revocasset factas hostium clades et in pompa ductos homines vinctos et ad necem destinatos.

II. De secunda oratione, ad Quirites post reditum, Beckius haec maxime animadvertit: „Quum in populi etiam concione non, quidquid in buccam venisset, dici potuerit, non existimari potest, verum Ciceronem tam parum religiose (c. 8. 10.), definite (c. 5.), vere et rei accommodate (c. 5.), latine (c. 1. etc.) dicturum ad Quirites fuisse, ut in huius declamationis multis locis factum esse videmus."

C. 8. „Pollicebor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum Romanum semper fore; numenque vestrum aeque mihi grave et sanctum, ac deorum immortalium, in omni vita futurum."

Numen significat *voluntatem, auctoritatem,* quum *deorum,* tum hominum, qui diis quodammodo similes habeantur. Ita Cic. Phil. III, 13. „Magna vis est, magnum numen unum et idem sentientis Senatus." Liv. VII, 30. „Adnuite, Patres conscripti, nutum numenque vestrum invictum Campanis." Quin etiam legibus *numen* tribuitur, de Divin. I, 12. „elapsaeque vetusto numine leges." Dicit ergo Scriptor nihil aliud, nisi *populi Romani auctoritatem aeque sibi gravem et sanctam, ac deorum immortalium futuram esse.* Non facit populum Romanum diis aequalem, non dicit, deos esse Quirites, quod Marklandus temere contendit: sed pollicetur tantum, se non minus pium et religiosum erga Quirites fore, quam erga deos, s. aeque illos culturum, ac si essent dii immortales. Sed finge, Quiritibus attribui divinitatem: quidni feramus hoc loco, quod toties fit apud Ciceronem, ut homines cum diis conferantur atque in deorum numero ponantur? Veluti pro Plancio, c. 12. „cum parente, quem veretur ut deum (neque est multo secus parens liberis)." pro Sextio, c. 68. „Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, quos equidem in deorum immortalium coetu ac numero repono." in Pison., c. 9. „Q. Metelli, quem ego civem, meo iudicio, cum deorum immortalium laude coniungo." pro Rabir., c. 2. „quorum (Quiritium) potestas proxime

ad deorum immortalium numen accedit." pro Cluent., c. 69. „Vos, Iudices, quos huic Cluentio quosdam alios deos ad omne vitae tempus fortuna esse voluit." de Leg. Agrar. II, 35. „Haec qui prospexerunt, maiores nostros dico, non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis?" pro Sext., c. 69. „P. Lentulum, cuius ego patrem, deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei." Adde de Or. I, 23. II, 42. 74. Hor. Sat. II, 6, 52. Quae quum ita sint, ne hoc quidem miramur neque a Ciceronis religione alienum putamus, quod infra, c. 10. Quirites dicuntur *deorum immortalium vim et numen tenere.*

C. 5. „Numquam de P. Popillio L. Opimius, fortissimus Consul, numquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui sequutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino, collega, Senatum aut populum est cohortatus. At pro me superiores Consules semper, ut referrent, efflagitati sunt. — Sed veriti sunt, ne gratiae causa facere viderentur, quod alter mihi affinis erat, alterius causam capitis receperam: qui provinciarum foedere irretiti, totum annum querelas Senatus, luctum bonorum, Italiae gemitum pertulerunt. — Kalendis vero Jan., posteaquam orba respublica Consulis fidem, tamquam legitimi tutoris, imploravit, P. Lentulus Consul, parens, deus, salus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, simul ac de sollemni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit." Ciceronem ante annum, quo revocatus sit in patriam, Gabinio patronum fuisse in capitali iudicio, eum capitalem errorem Scriptoris existimant Marklandus et Wolfius. Attamen egregie cum hac oratione consentit or. de prov. Cons., c. 10. „Etenim si iis, qui haec omnia flamma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solum, sed etiam bellum indixi atque intuli, quum partim mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis iudiciis essent liberati; cur eadem respublica, quae me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit?" Ubi oratorie pluralis numerus pro singulari ponitur, atque verbis *familiares, capitis iudiciis liberati, inimicis* intelliguntur Piso, Gabinius, Clodius. Porro Wolfius nullam hanc consequentiam esse dicit: „Numquam de Popillio, de Metello, populum aut Senatum cohortati sunt Consules: at pro me superiores Consules (quum ipsi non cohortarentur) a Senatu semper, ut referrent, efflagitati sunt; — Kalendis vero Jan. — P. Lentulus Consul — nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit." Fateor me nescire, quid consequentia sit, si iure negetur, hanc esse consequentiam: *Numquam de Popillio — populum aut Senatum cohortati sunt Consules, at — P. Lentulus Consul nihil sibi prius, quam de me agendum iudicavit.* Verba: *sed veriti — pertulerunt,* interpositionem quandam efficiunt, qua Consulum impudentia perstringitur simulantium, se vereri, ne gratiae causa facere viderentur, quum re vera irretiti essent foedere provinciarum.

C. 5. „Quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed, ut patefactum est, in augenda mercede consumpta est."

Marklando *merces* h. l. satis obscure poni videtur, potestate ancipiti. Nam *in reddenda mercede* nihil aliud esse contendit, quam *in referenda mihi gratia:* posteriore autem loco *mercedem* esse pecuniam Atilio promissam a Clodianis pro intercessione. Hunc singularem Censoris errorem Gesnerus corrigit, qui interpretatur: „*quae deliberatio non in reddenda,* quam iam acceperat ab inimicis meis, intercessionis suae *mercede, sed in augenda consumpta est.*"

C. 1: „Quod precatus a Iove Optimo Maximo ceterisque diis immortalibus sum, Quirites, eo tempore, quum me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio concordiaque devovi, ut, si meas rationes numquam vestrae saluti anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem mea voluntate susceptam; sin et ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem vestrae salutis gratia suscepissem, ut, quod odium scelerati homines et audaces in rempublicam et in omnes bonos conceptum iamdiu continerent, id in me uno potius, quam in optimo quoque et in universa civitate deficeret; hoc si animo in vos liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, Patres Conscriptos, Italiamque universam memoria mei, misericordia desideriumque teneret: eius devotionis me esse convictum iudicio deorum immortalium, testimonio Senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio divino immortalique vestro, maxime laetor, Quirites."

Sententia haec est: „Quum me fortunasque meas — devovi, a Iove Optimo Maximo precatus sum, ut sempiternam poenam sustinerem, si meas rationes umquam vestrae saluti anteposuissem; ut vero vos, Patres Conscriptos — memoria mei — teneret, si et ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem vestrae salutis gratia suscepissem, eo consilio, ut, quod odium scelerati homines — continerent, id in me uno — deficeret. Atque huius devotionis me esse convictum — laetor." Particula *quod,* in limine totius sententiae posita, vice fungitur, non relativi pronominis, sed coniunctionis, qua transitum sibi parant Oratores ad novam rem exponendam. Uti pro Planc., c. 28. „Nam, quod ais, Cassi, non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus, quod iis aeque mea salus cara fuerit; ego me debere bonis omnibus fateor." in Vatin., c. 3. „Nam quod mihi discessum obiecisti meum — tantum tibi respondeo" etc. ad Fam. III, 5. „Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurusne me sis in provincia; ea res sic se habet." Ex hac re, et ex eo, quod sententia longior atque incitatior est, quam pro initio orationis, tum quia c. 2. quaerit Scriptor: *Quorsum haec disputo,* atque ipse respondet, *ut intelligere possitis, neminem umquam tanta eloquentia fuisse — qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum — consequi possit;* postremo quia in hac oratione mentio nulla fit rei frumentariae, quae princeps fuit causa concionandi: iure nobis suspicari videmur, priorem huius orationis partem deperditam esse, qua videlicet de potestate rei frumentariae Pompeio committenda ageretur. (Cf. quae supra disputata sunt p. X.) Quod totam sententiae structuram

et obscuritatem attinet, similis est locus pro Milone, c. 2. „Quamquam in hac causa, Iudices, T. Annii tribunatu, rebusqne omnibus pro salute reipublicae gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur, nisi oculis videretis insidias Miloni a Clodio factas; nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara in rempublicam merita condonetis; nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius, quam populi Romani felicitati assignetis: sin illius insidiae clariores hac luce fuerint; tum denique obsecrabo, obtestaborque vos, Iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut impune liceat defendere.“ (Conf. de or. II, c. 16. 17. 24.) Ex singulis verbis et loquutionibus notatur formula *devotionis convinci*, in qua genitivi constructio, per se quidem Latina, in alienum quasi domicilium translata sit. Ergo Latine dici *convincere aliquem maleficii, inhumanitatis* minime negat Wolfius, sed parum Latine loqui censet, si quis ad hanc analogiam dicat, *se convictum esse devotionis*. At mihi videtur eiusdem generis esse, *damnare aliquem voti*, quod legimus apud Liv. VII, 28. „Cuius damnatus voti quum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit.“ et ap. Corn. Nep. Timol. 5. „dixit, nunc demum se voti esse damnatum.“ Adde Virg. Aen. V, 236.

„Vobis laetus ego candentem littore taurum
Constituam ante aras, voti reus.“

Quaeritur etiam exemplum, ubi auditores bis in eadem periodo nominatim appellentur, uti h. l. *Quirites*. Unum supra attulimus ex or. pro Milone, c. 2.; secundum exstat in eadem oratione, c. 9.; tertium et quartum est in Catil. II, c. 13.; quintum reperitur in Catil. III, c. 12. Denique sine causa haerent Marklandus et Wolfius in verbo *deficere*, quod h. l. significat *defatigari, consumi*. Conf. Acad. II, 3. „nec illi defecerunt, neque nos studium exquirendi defatigati relinquimus.“ ad Attic. I, 16. „ne unaplaga accepta, Patres Conscripti, considerent, ne deficerent.“ pro Rosc. Amer., c. 4. „animo non deficiam, et id quod suscepi, quoad potero, perferam.“ Brut. c. 8. „Nam et aures ipsae, quid plenum, quid inane sit, iudicant, et spiritu, quasi necessitate aliqua, verborum comprehensio terminatur; in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.“ in Cat. II, c. 11. „In huiusmodi certamine ac proelio, nonne, etiamsi hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari?“ ad Fam. XIV, 3. „Quamdiu eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur.“ Restat, ut breviter moneamus, primam particulam *ut*, quae perperam a Wolfio refertur ad *devovi*, referendam esse ad *precatus sum*. De variata significatione huius particulae conf. de or. II, 16, 59; in Verr. II, 21. in Catil. III, 2.

III. In tertia oratione, pro domo, Beckius arbitratur, praeter omnem orationis decursum et modum singula etiam et plura esse loca, quae non Ciceronem, sed peregrinum potius hominem, auctorem esse ostendant, tum rebus et sententiis (c. 14. s. 45.

46.), tum verbis et formulis dicendi (c. 9. 38.); alia inepte (5. 40. 57.) esse dicta, neque ut Ciceronem diceret.

De omni orationis decursu et modo supra disputatum est, p. XI.; singulos locos eodem ordine, quo indicati sunt a Censore, nunc examinaturi sumus.

C. 14. „Ita populus Romanus brevi tempore neque Regem sacrorum, neque Flamines, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum; auspiciaque populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, quum Interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse est.“

Dupliciter imperite fecisse h. l. Scriptor arguitur a Wolfio. Primum, quod patricios etiam tum putarit auctores factos comitiorum, id quod priscis quidem aetatibus verum fuerit, non Ciceroniana, qua patriciatus nemini viam in Senatum aut praecipuum locum daret, sed illa auctoritas, si modo fuerit, esse debuerit Senatus, i. e., Patrum, non patriciorum; deinde, quod tanti putarit hanc omnem rem, quod Patres auctores fierent eorum, quae populus in comitiis iussisset, h. e., ex nostro loquendi more, confirmarent, approbarent, rata facerent populi scita. At mihi colligendum ex hoc loco videtur, non omnium Senatorum fuisse, ut comitiorum auctores fierent, sed eorum tantum, qui erant ex ordine patricio. Quod Livius confirmat VI, 42. „quia patricii se auctores futuros negabant.“ et Sallustius Hist. III, or. Licinii: „libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paravere.“ Idem ex eo intelligi quodammodo potest, quod nusquam pro *patribus* in hac formula ponuntur *Senatores*. Etenim si Patres non differrent a Senatoribus, quid causae esset, cur *Patres* semper in hac loquutione, *Senatores* numquam, appellarentur? Quod ad alterum crimen attinet, Orator hoc tantum voluit dicere: si nulli patricii superessent, auctores comitiorum non habiturum esse populum Romanum. In quo Planciana non adversatur huic orationi, quamvis tradat (§. 8.), Patres apud maiores tenere non potuisse, ut reprehensores essent comitiorum. Nam teste Livio VIII, 12. a Dictatore Publilio lex lata est, ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur ante initum suffragium *Patres auctores* fierent. Consentit Brut. c. 14. „M. Curium, quod is Tribunus plebis — *Patres ante auctores* fieri coegerit, quod fuit per magnum, nondum lege Maenia lata.“ Quid? si Patres cogebantur, ut ante initum suffragium auctores fierent, an desinebant omnino auctores fieri? Quamobrem admodum perite videtur Scriptor fecisse, ut illam auctoritatem inter iura patriciorum propria commemoraret.

C. 15. „Infirma sunt igitur, tua sententia, acta C. Caesaris, viri fortissimi? Minime: neque enim mea iam quicquam interest exceptis his telis, quae ex illius actionibus in meum corpus immissa sunt.“ Mirificam esse Wolfius existimat Ciceronis responsionem ad Clodii obiectionem. „Primo“, inquit, „rem simpliciter negat, nulla causa allata, dein dicit, nihil interesse sua, nunc in patriam reducti, ratane et firma sint Caesaris acta, necne; postquam ipse exceperit tela ex actis Caesaris in se immissa.“ Addit: „haec

sententia quam absurde expressa sit, quodammodo ex ipsa vulgata interpretatione loci apparet.“ Sensus verborum est: postquam haec mala perpessus sum, quae ex Caesaris actionibus in me redundarunt, mea non interest etc. Quaeri iam potest, quaenam haec mala sint, et quomodo ex Caesaris actionibus in Oratorem redundarint. Ac notum est, a Caesare legem esse latam, ut Clodium a Plebeio adoptari liceret; notum est etiam, a Clodio, Tribuno plebis, Ciceronem in exsilium eiectum esse; notum est ad extremum, Clodium non potuisse Tribunum plebis fieri, nisi plebeius esset adoptione factus. Itaque per Caesaris actiones quodammodo factum est, ut Cicero in exsilium ire cogeretur, et haec mala, quae scilicet cum eius discessu coniuncta fuerunt, tela in suum corpus immissa appellat. Ad vocem *minime* ex verbis *tua sententia* repetendum est, *hanc ferre sententiam s. hoc agere volo.* In sequentibus vero negat Orator, causam esse, cur ita sibi agendum putet, ut acta Caesaris infirma esse doceat.

C. 45. „Pontifex, inquit, affuit. Non te pudet, quum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non collegium Pontificum, affuisse? praesertim, quum Tribunus plebis vel denuntiare potueris, vel etiam cogere?“

Hunc locum Beckius ipse defendit in commentario ad orationem pro domo. „Etsi,“ inquit, „Marklandus de iuris consuetudine tempore Ciceronis loquitur, sufficere tamen videtur Gesneri defensio, quum Auctor non, quid omnino licitum fuerit, sed quid Clodius Tribunus plebis facere potuerit, dicere velit.“

C. 46. „Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi.“

Marklandus, qui non reprehendit Ciceronem, quod in superioribus suam pontificii iuris scientiam dissimulat, in eo tamen, quod h. l. se audisse dicit, in dedicatione postem teneri oportere, vehementer offendit. Nam dedicationis templorum publicam fuisse cerimoniam, coram populo fieri solitam, teste Plutarcho, in vit. Poplic. p. 104. Quasi idem esset *teneri* et *teneri oportere.* Fuerit enim nemini puero in Urbe obscurum, *teneri* postem in dedicatione: an etiam id fieri *oportere,* ab earum rerum peritis non edoctus, scire poterat? Ergo valde decens, ut Gesnerus ait, hic locus est, et dignus illa Tullii prudentia, qua interiores litteras occultare solet.

C. 9. „Quis homini post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum, pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, [ereptam vi ex Caesaris rebus actis,] quis imperium infinitum dedit?“

Interpunctionis nota post bellum posita summam huius loci difficultatem sustulimus, quam dativi *pacatissimis gentibus* h. l. afferebant. Nam recte se habent ablativi significantes: *quum gentes pacatissimae essent.* Similiter Cic. de Or. III, 31. „Nostra est omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines — abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt.“ Verba *ereptam vi ex Caesaris rebus actis* non solum perturbant sententiae concinnitatem, sed incertam etiam significa-

tionem et sensum obscurum habent. Quapropter uncis ea inclusimus; atque hoc eo magis, quod fontem interpolationis reperisse nobis videbamur, in Pison., c. 12. „Si tibi provinciam, si exercitum, si pecuniam *ereptam ex reipublicae visceribus* dedisset." Quae primum in margine adscripta, deinde corrupta et mutilata in textum recepta esse suspicamur. Nam plurimi codices pro *vi ex Caesaris* habent *ex vi Caesaris rebus*, i. e., *ex visceribus*.

C. 38. „Aequum accidisse Maelio populus Romanus iudicavit: nomine ipso Aequimaelii [stultitia] poena comprobata est."

Vocem *stultitia* cum Graevio et Garatonio delendam censemus, non repugnante Marklando. De reliquis vide, quae disputata sunt p. XVII.

C. 5. „Frumentum provinciae frumentariae partim non habebant; partim in alias terras, credo, propter varietatem venditorum miserant."

Varietas h. l. pro *inconstantia* ponitur, uti ad Att. I, 17. „Magna mihi varietas voluntatis et dissimilitudo opinionis ac iudicii Quinti fratris mei demonstrata est ex litteris tuis." Non erat igitur, quod Wolfius moneret, sensum obscurum reddi imperite arrepta aut minus usitata verbi significatione, quum praesertim ipse laudasset Virgilii: *varium et mutabile semper foemina.* Quid! quod post reditum in Senatu, §. 21. non offendit neque Marklandum neque Wolfium loquutio illa: *quam non varius* (i. e. quam constans) *fuerit in causa.* Ita sibimetipsi viri doctissimi non constant et varii sunt.

C. 40. „Adspicite, adspicite, Pontifices, hominem religiosum, et, si vobis videtur, (quod est bonorum Pontificum) monete eum, modum quendam esse religionis, nimium esse superstitiosum non oportere."

Hunc locum sibi suspectum esse primus declaravit Lambinus. „Nam," quaerit, „quid est hoc, *nimium esse superstitiosum?* quale est, *nimis avarum* et *nimis intemperantem esse* et similia; quo modo si quis loquatur, significet, vitium horum habituum nasci ex eo, quod est nimium, non ex rebus ipsis: et eum, qui sit avarus aut intemperans, modo non sit nimis avarus aut nimis intemperans, non esse vituperandum: quod absurdum dictu est. Ac ut avaritia et intemperantia vitiorum sunt nomina, ita et superstitio vitii nomen est. Ut igitur aliquis reprehendatur, nimis superstitiosum esse, non necesse est, sed quisquis superstitiosus est, eo ipso vituperandus est." Quae verba Lambini repetuntur a Marklando. Wolfius autem recte negat, hoc esse reprehendendum, quod dicatur aliquis *nimium superstitiosus* esse, siquidem omnis pravitas, omne vitium quasi gradus quosdam habeat. Quam ob causam saepe in universum dicatur nimium male. Sed verba *non oportere* plane arguere dicit, aliquem superstitiosum esse oportere. Hac re concessa quaerendum erit, an superstitiosi habitus, qualis h. l. intelligendus est, in vitiis numerandus sit. Ac, teste Garatonio, Justinus *superstitionem* pro *religione* bis usurpavit, qui XXXIX, 3. *superstitionem templi* dicit; et XLI, 3. *in superstitionibus atque cura deorum praecipua omnibus veneratio est.* Virgilius Aen. XII, 817.

Adiuro Stygii caput implacabile fontis;
Una superstitio superis quae reddita divis.

Cicero in Verr. IV, 51. „Tanta religione obstricta tota provincia est, tanta superstitio ex istius facto mentes omnium Siculorum occupavit, ut quaecumque accidant publice vel privatim incommoda propter eam causam scelere istius evenire videantur.“ Contra Horatius *religionem* pro *superstitione* usurpat Sat. I, 9. 71.

nulla mihi, inquam,
Relligio est. At mi: sum paullo infirmior, unus
Multorum: ignosces: alias loquar.

Ac puto factum esse, ut *superstitio* pro *religione* diceretur, postquam ii, qui sapere sibi videbantur, *religionem* multitudini assignare coeperunt. Itaque Cicero h. l. non tam suo, quam Clodii nomine *superstitiosum* pro *religioso* dicit, atque hoc ipso vocabulo insignem Clodii impietatem notat, cui *omnis religio* videatur esse *superstitio*.

C. 57. „Nam nunc quidem, Pontifices, non solum domo, de qua cognoscitis, sed tota Urbe careo, in quam videor esse restitutus. Urbis enim celeberrimae et maximae partes adversum illud non monumentum, sed vulnus patriae, contuentur: quem quum mihi conspectum morte magis vitandum fugiendumque videatis, nolite, quaeso, eum, cuius reditu restitutam rempublicam fore putastis, non solum dignitatis ornamentis, sed etiam Urbis partibus velle esse privatum.“

Haec a Gesnero tam praeclare defenduntur, ut verbum addere non habeam necesse. Sic enim argumentatur: „Verba *nam nunc — restitutus* non ad verbum, sed figura quadam, dicta esse, res ipsa clamat: loquitur enim in Urbe Tullius. Sed nempe *caret* re aliqua, qui illa non fruitur; caret urbe, qui ea non fruitur, qui discedere malit, quam adesse etc. Satis hoc declarant, quae sequuntur: *Urbis enim celeberrimae et maximae partes* (quibus qui caret, h. e., abstinet, ne adspectus dolorem moveat, tota Urbe videtur carere) *adversum illud — esse videatis* etc. Sermo est de summo cive, qui in luce, in foro versari vult, si in Urbe sit, qui se non putet in Urbe esse, Urbem videre, si in foro esse sine summo dolore et ignominia non liceat.“

IV. Quartae orationi, de Haruspicum responsis, inesse dicuntur tot ac tam inepta anilis loquacitatis specimina (vid. c. 8.), tam affectata, puerilis et parum latina oratio (c. 9. 20. in. 24. extr. 27.), denique etiam loca cum rationibus rerum et temporum sic pugnantia, ut ita vel dixisse vel scripsisse Cicero vix possit existimari.

C. 8. „Vidi enim hesterno die quemdam murmurantem: quem agebant negare ferre me posse, quia, quum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cuius essem civitatis, respondi, probantibus et vobis et equitibus Romanis, eius esse, quae carere me non potuisset. Ille, ut opinor, ingemuit. Quid igitur responderem? quaero ex eo ipso, qui ferre me non potest. Me civem esse Romanum? Litterate respondissem. Tacuissem? Desertum negotium. Potest quisquam vir, in rebus magnis cum invidia versatus, satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere?

At ipse non modo respondet, quicquid potest, quum est lacessitus; sed etiam gaudet, se ab amicis, quid respondeat, admoneri."

Si quem offendat h. l. garrulitas studiumque, ut Wolfius dicit, immane loquendi, velim reputet ea, quae praecipit hac de re Quint. X, 2, 24. sq. „Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum: nonnumquam fatigantur: quum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen etc."

C. 9. „Quam volumus licet, Patres Conscripti, ipsi nos amemus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terrae domestico nativoque sensu Italos ac Latinos, sed pietate ac religione atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus."

In toto loco Wolfius et Beckius declamatorium frigus sentiunt, quos, scire velim, quomodo afficiant huiusmodi sententiae, quales in omnibus Tullii orationibus deprehenduntur, pro Sext. c. 11. „Hic tum Senatus sollicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum cives summae reipublicae a Consulibus atque a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur." et ib. c. 16. „Meam causam Senatus palam, equester ordo acerrime, cuncta Italia publice, omnes boni proprie enixeque susceperant."

C. 20. „Quid affert, ut tanta civitas, si cadet, (quod dii omen obruant,) a viro tamen confecta videatur?"

Omen obruere nonnisi hoc loco reperitur. Sed nemini usque ad hoc tempus visa est iusta suspicionis causa, quod semel aliquid legeretur, quum per se non posset improbari. In ipsis autem verbis, *omen* et *obruere*, nihil est, quod respuat eorum iuncturam; neque concedi potest, quod Wolfius affirmat, unum avertendi verbum in hac formula deprecandi Latinis usitatum esse. Nam Phil. IV, 4. Tullius dicit, *detestamini quaeso hoc omen.*

C. 24. „Quid existimatis eum, si reditus ei gratiae potuerit, esse facturum, qui tam libenter in opinionem gratiae irrepat?"

Reditum gratiae Marklandus accepit pro *reditu in gratiam*, atque falsam Latinitatem esse iudicavit. Dubito, an illo sensu accepta defendi posset loquutio, *reditus gratiae*, exemplis, qualia sunt pro Arch., c. 10. „maximum et periculorum incitamentum et laborum," in Pison., c. 1. „quae sit hominum querela frontis tuae," de Amicit., c. 25. „iudicium veri." Ex sequentibus vero, *in opinionem gratiae*, aliter accipiendum esse colligimus. Nam *opinioni gratiae*, seu *redeuntis gratiae opinioni* opponitur *patens* aut *certus gratiae reditus*, ut *gratiae* sit genitivus, qui dicitur, subiectivus. Ita etiam Gesnerus hunc locum explicat, qui dicit: „*Reditus gratiae*

nondum alias inventus, sed an ideo non potuit a Cicerone poni? Nonne apud Horatium *prisca redit Venus?* Nonne *gratia* hic est mutuus amor, cuius reditus potest intercedere?"

C. 27. „Quis minus umquam pepercit hostium castris, quam ille omnibus corporis sui partibus?"

Wolfius animadvertit, ipsam similitudinem absurdam esse, nec valde accommodatum verbum *parcendi*, nullamque laudem esse, *parcere corporis partibus omnibus*. Immo ignavorum hoc esse censet, et omnem laborem detrectantium. At sermo est de homine in stupris inauditis nefariisque versato, qui scurrarum locupletium scortum, sororis adulter et stuprorum sacerdos vocatur, pro Sext., c. 17.; neque iam dubium erit, quibus maxime corporis sui partibus iste non pepercerit. Utrum vero ignavorum, an fortium virorum sit, partibus illis parcere et corporis sanitatem non debilitare stupris immoderatis, id quisque per se facillime diiudicabit.

V. Quintam orationem, pro M. Marcello, Beckius non recensuit, ut supra dictum est. Quare non licet nobis eadem via et ratione, qua reliquas orationes defendimus, hanc quoque ab iniectis criminibus liberare. Sed Hugius, v. cl., quatuor primorum capitum suspiciones simili consilio dissolvit, ut scilicet, ex illis coniectura de reliquis facta, omnes criminationes, quibus tota oratio premeretur, falsas esse ostenderet. Cuius rationes et argumenta quum a nemine, quod sciam, adhuc improbata sint, antiquissimum nobis videtur, eius auxilio uti, et lectores benevolos, si quos nacti simus, rogare, ut lucubrationem ab eo doctissime scriptam quasi pro parte quadam huius disputationis legere non recusent. Quod si enim cum illa quintae orationis defensione annotationes nostrae in quatuor priores comparari possint, bene speramus, fore ut omnes, causa religiose iudicata, M. Tullio Ciceroni restituendae videantur.
